



NAZIONALE
VITT. EMANUELE
13
26 A
58



HENRICI BOCERI

JC.

IN INCLYTA TUBINGENSI ACAD. ANTECESSORIS,&c.



Tractatus compendiosus,

De Crimine Majestatis:

TUM


ILLUSTRIS QUÆSTIONIS de fructibus rei alienæ, quam quis bona, vel mala fide possidet,

Explicatio brevis, et dilucida:

TUM ETIAM

DISQUISITIO RATIONIS componendi dissidii, quod est inter l. 2. ff. Stellionatus, & l. Quid ergo 13. §. ult. ff. de his, qui not. infam.

Ex legato





TUBINGÆ,



Typis & Impensis Cellianis,

ANNO M. DCVIII.

IMAGO,

Nobilis & Consultissimi Viri,

DOMINI HENRICI BOCERI, V. I. D.

Inclyta in Academia Tubingensi Antecessoris, &c.



Quod MANIBVS DIVES, *tua publica scripta loquuntur*

PASCIS CORDA *reis, Juridicaque Scholæ.*



PRÆFATIO
AD
Humanum & benevolum Lectorem.

*PTIMA VT SIT, & ſecunda voluntate populus quiſque ſuum in Principem, ac Gubernatorem, eiq; honorem, & obedientiam præſtet, nullum ipſi incommodum adferat, nullam concitet offenſionem, multæ, & graves monent cauſæ.*

Incognitum haud eſſe poteſt homini Chriſtiano, niſi prorſus hoſpes, & peregrinus ſit literis

in sacris, aut pietati minùs tribuat cultum, quam Ethnicus aliquis, Dei ordinatio quod sit gentis cujusq; moderator, res maximè necessaria, difficilis admodum, & dura eius conditio, magna tamen cum subditorum vtilitate conjuncta.

Rom.13. *Non est, ait Apostolus, potestas nisi à Deo: quæ verò sunt potestates à Deo ordinatæ sunt.*

Eccles.17. *In vnamquamque gentem, inquit Ecclesiasticus, Deus Rectorē præposuit.*

Deut.17. *Populus Dei eum sibi constituere jubetur Regem,*

Daniel.4. *quem Jehova elegerit. Ex Daniele Propheta cognoscimus, præpotentem rerum omniū Deum Regna tribuere gentium, cui velit.*

lit. Et in manu esse Domini terræ potestatem, testatū apud animos nostros Ecclesiasticus reliquit. Per me Reges regnant, & legum conditores justa decernunt, S. ait Scriptura. Item, data est à Domino potestas, & virtus ab altißimo. Pertinet huc et illud Petri: Subjecti estote cuivis humanæ ordinationi ꝑpter Deum, sive Regi, sive præcellenti, sive Ducibus, ab eo mißis. Atq; hoc non ignorauit etiam Aristoteles, cum Alexandrum Magnum hortaretur per literas, ut cogitaret, sibi diuinitus datum esse Imperium. Eccles.10. Proverb.8. Sap.6.

Necesßitas divinæ hujus ordinationis in apricum deduci

absque negotio potest. Mens hominis praua est: sæpe in scelera prorumpit varia, blasphemias in Deum, rapinas, furta, homicidia, adulteria, stupra,
Genes.6. *& id genus alia flagitia. Multa malitia hominum, ait Jehova, est in terra, & cuncta cogitatio cordis intenta est ad*
Genes.8. *malum. Sensus, & cogitatio humani cordis in malum prona sunt à pueritia. Ex corde exeunt cogitationes malæ, homicidia, adulteria, blasphemiæ, etç.*

Has humanæ mentis perversas cogitationes, nisi inhiberet magistratus severitas, crimina isthæc in terrorem aliorum dignis pœnis si nō idem coërceret,

Respub.(cujus nomen sanctißimum videri nobis debet) non vexaretur modò ab improbis hisce, et nequißimis hominibus, sed & labefactaretur, ac deleretur prorsus ab eisdem. Nulla, ait Æschines, urbis utilitas est, quæ non habet nervos adversus delinquentes. Cic. pro Ligario.

Verum ut reprimat isthæc flagitia, & promeritis coërceat supplicijs magistratus, cæli terræq́ Dominator præcipit severè. Auferte, ait, malum è medio, ut cæteri timorem habeant. Deut. 13.
Mißi sunt à Deo Reges, atque Duces ad vindictā malefactorum. 1. Petr. 2.
Malis operibus, inquit Apostolus, terrori sunt Magi- Rom. 13.

stratus. Quod si malum feceris, metue. Non enim frustra gladium gestat Dei minister; ultor ad iram ei, qui malum fecerit.

Porrò, quam dura sit, & gravis conditio Magistratus, homines considerati, quamvis cum imperio fuerint nūquam, intelligere possunt facilè. Sunt nonnulli à ratione adeo alieni, ut existiment, digito, quod ajunt, cœlum attingere eos, quibus rerum potiri & dominari contigit. Sed rudi suæ hi relinquantur incultæ mentis judicio. Onus certè gravè sceptro impositum est: Id quod experiuntur cottidiè, qui Reipub. gubernacula tractant. Nota est subditorum

torum quorundam non contumacia ſolum, ſed & perfidia: nota invidia, odia, exilia, pericula, quæ imminent ſæpe, & obveniunt non rarò his etiam, qui præclarè ſummaq; cum laude Magiſtratu funguntur: nota ſunt bella publica, tumultus civiles, interitus excidia, & id genus alia incommoda varia, quæ Reip. Moderatoribus tanquam Damoclis gladius perpetuò impendent. Demoſthenem eò compulerũt innumera iſthæc mala, vt duab. vijs ſibi propoſitis, quarum altera, ad Rempubl. altera ad mortem, et interitum duceret, ſe potius hanc, quam illam electurum, rectaque

que ad mortem abiturum affirmarit.

Quam etiam fructuosa sit, & Reip. accommodata hæc Dei ordinatio, in propatulo est. Subditis pacem (cujus nomen dulce est) tranquillam præstat magistratus: Orphanorum, et pupillorum curam, & patrocinium suscipit: Improborum è manibus innocentes, & probos eripit: Labore suo, & opera afflictis, miserisq; succurrit: Injuriam passis jus, & justitiam administrat; Latrocinia, tyrannides, aliosq; hominum furores compescit; Vrbes, Respub. regiones, regna, imperia tota fulcit, ac sustentat, non secus, atq; columnæ,

et

et fulcra domum. Ut nõ immeritò Dij benefici, throni terræ, arbores umbriferæ, in Sacrorum Bibliorum voluminib. appellentur, qui alijs imperitant.

Quod cum ita sit, decet omninò subditos, suum vicißim magistratum amore prosequi, honore, ac reverentia afficere, nullum ei incommodum invehere, insidias ponere nullas.

Quod si quisquam injurius fuerit in Principem, ac Gubernatorem suum; si dente maledico ipsum carpere ausus fuerit; si eum insidijs circumvenire proposuerit; si periculum intenderit illi, non modò iram Dei in se provocabit, et horrendas

das easqúe æternas pœnas sibi comparabit, sed & temporale ad supplicium hac in vita, publicæ vindictæ, atque alijs injiciendi terroris causa ignominiosè raptum se iri sciet.

At quia flagitium hoc, subditi quod incurrunt, quoties in magistratum suum supremum, vel supremo proximum, puta Imperatorem, vel Imperij Statum, quid scelerate moliuntur, hæresi vicinum existimatur, & majestatis humanæ crimen dicitur, proindeq́ gravissima ei proposita sit pœna, alia tamen atq́ alia, pro sceleris hujus cōditione, & qualitate, magnitudine, vel parvitate (quippe cum

vnius

vnius generis nō sit maleficium hoc) refert certè plurimum, perspectum probè cognitumq́ habere, tum quo facto nefario majestatis crimē admittatur; tum quæ ejus sint genera, quæ generis cujusq́ species, quis item cōmittat, & cujus in persona conflare dicatur hoc crimen; tum postremò, quæ pœna in quemq́ hujus peccati Reum jure sit definita.

Quocirca animum induxi meum, in hanc quoq́ materiam conatus meos extendere, jura nostra de hoc grauißimo crimine inspicere diligenter, accuratè considerare, vim eorū meo qualicunq́ judicio depromere, atq́ interpretatione compendiosa illustra-

lustrare, difficultates, quæ in hoc incidunt argumentum, pro viribus expedire, ac removere, Commentatorum quoque errores, quibus deformatum est, ab eo dispellere: quæ omnia, & singula, juvante Deo, brevi hoc Commentario meo effecta me reddidisse, reor.

Adjeci quoque fabricæ huic meæ succinctam expositionem quæstionis illustris de fructibus rei alienæ; ut et ratione conciliandi l. quid ergo 13. §. ult. ff. de his, qui not. infa. cum l. 2. ff. Stellion.

Cæterùm, cum meis in Consilijs nihil quicquã sit antiquius, quam ut operâ meâ prodesse possim multis, decrevi mecum,

has

has quoque meditationes meas, roganti Typographo excudendas dare, publicũ in vsum producere, et communem cum alijs facere, ea spe fretus, studium hoc meum & gratum plerisq; & vtile multis futurum.

Accipe ergò, humanissime Lector, & hanc opellam meam, tuoqúe in me, meiqúe animi fœtus amore & favore effice, vt à me paulò post majora capias. Tubingæ 30. Januarij, Anno reparatæ salutis Christianæ, supra millesimum, sexcentesimum, octavo.

Henricus Bocer,
Jurisconsultus.

SCHE-

SCHEDIASMA

AD

HENRICUM

BOCERUM, JURISCONSULTUM NOBILEM ET CONSULTISSIMUM,

ACADEMIÆ TUBINGensis Antecessorem, & Supremi Consistorii VVürttembergici Assessorem longè celeberrimum, Dominum Collegam suum honorandum.

INCLYTE vir dubiis Iudex fidissime rebus;
Curia quem, scripta & plena theatra sonant.
Illustris nostri pars digna BOCERE, Senatus;
Atque Tubingensis Luxque Decusque scholæ.
En MAIESTATIS sic tractas IVRA sacratæ;
Iulia Lex posuit, quæque sequenda dedit:
Materiam, cui nodus inest, de FRVCTIBVS, amplam,
Ingenii tantâ dexteritate doces:
Sic dubias LEGES, rationis acumine, planas
Reddis, & insigni discutis arte, DVAS:
Vt Themis id cernens confestim hæc ore locuta,
Musarum vnanimi concomitante choro:
Hunc dignum reor esse virum, quem carminis auctor,
Dulcisonâ cœli tollat ad astra lyrâ.
Dignum; cui tribuat præclaros Cæsar honores,
Quem laudent Proceres, grataque posteritas.
Dignum; Nestoreos, qui vivat maximus, annos,
Atq; foro, atq; Scholis commoda plura ferat.

Samuel Bansovius, Supremi Consistorii Württembergici Assessor.

In Tra-

In Tractatum,

De Crimine Læsæ Majestatis,

NOBILIS ET CONSULtissimi Viri,

DN. HENRICI BOCERI, JURISCONSULTI EXCELLENTISSIMI, SUPREMI Dicasterii Württembergici Adsessoris prudentissimi, & in Academia Tubingensi Professoris celeberrimi, Domini Adfinis, Præceptoris & Patroni sui colendissimi,

ANAGRAMMA,

SCRIPTUM

à

JODOCO COLBIO, V. J. D. eiusdem Curiæ Advocato, & Universitatis Professore.

Henricus Bocerus, Jureconsultus.
Bonus Chori nucleus, securus erit.

SIC magis, atque magis tua laus insurgit ad astra,
Ingenii hanc augent scripta polita tui.

Olim contractus plerosque fideliter, inde
Jus donatorum te explicuisse scio.
Belli jura doces solers, & jura duelli,
Hos relegis magna sedulitate libros.
Insuper obscuri numerosa volumina juris,
Classibus in paucis, te Duce, clara nitent.
Nec labor ille gravis te vincit; vincis eundem,
Præclaris scriptis, juris ocelle, tuis.
Te Duce, cautus agit Iudex, per crimina stringens;
Torturis tentans noxia membra Rei.
Sic Majestatis crimen nunc tradis in isthoc
(Quem modò das luci, Vir venerande) libro.
Nucleus *iste* Chori *Themidos* bonus, *atq;* securus
Idem erit *à rabie, Zoile prave, tua.*
Hic etenim studiosa cohors cognoscet apertè,
Atque tribus verbis, exitiale scelus.
Hoc quis committat modò detestabile crimen,
Contra quos etiam sit reus ille viros.
Pòst variè sceleris partes, positæ ordine justo,
Clariùs exponunt criminis hujus opus.
Protinus hinc sequitur prædiri criminis vltrix,
Constringens trepidos pœna tremenda reos.
Judicium majestatis pars vltima habebit.
Cuncta hæc limatè continet iste liber.
Hunc, Studiose, igitur volve atq; revolve libellum,
Premia & Auctori debita redde. VALE.

A D

AD

Nobilem & Consultissimum
Virum,

DOMINUM

HENRICUM
BOCERUM,
J C.

IN ILLUSTRI
ACADEMIA TUBINGENSI,
Antecessorem; & in Summo Ducatus Wirtemb. Judicio, Adsessorem eminentissimum.

HENRICI HERMANNI,
eodem in Judicio Advocati,
EPOS.

Juridicæ sublime decus, BOCERE, *Cathedræ:*
Atq; idem fax clara FORI: *quo Judice certam*
Adflictis licet usq; REIS *sperare salutem.*
Hoc tibi cum paucis indultum, alia atq; alia inter,
Quæ te circumstant sexcenta negotia, posse
Scribere quod Gâl miranda volumina vincat.
Testes librorum laudo monumenta tuorum
Plurima, quis seros nomen diffundis in annos.
Jamq; recens moliris opus; quæ nempe sequantur

Crimina

Crimina supremos contra patrata Monarchas
Vindictæ. Quantum propriis qui victitat, illo
Distet qui fructus alieni possidet agri.
Stellio quâ dignus pœnâ: num Cerite cerâ:
An qua diverso Consulti prodita sensu est?
Teutonis ora fave: sacrisq; operata juventus
Eunomiæ studiis, linguis animisq; favete.
At tu, cui potior Genii concessa facultas,
Communi largire Bono hoc, BOCERE, *novosq;*
Materiam æterni, libros, procude triumfi.



TRA-



TRACTATUS DE CRIMINE MAIESTATIS.

Partitio Tractatus.



Voniam de majestatis crimine jura nostra dehinc exponere in animo habeam, certum mihi est, totam hanc operam meam, facilioris doctrinæ causa, in aliquot dispertire summa capita, quæ hæc erunt. Primò definitione quadam, ejusq́; declaratione, quid

 sit

sit majestatis crimen, ita aperiã, vt inde quis, aduersus quem, hoc facinus cõmittat, planè constet. Deinde hujus criminis distributionẽ adferam, eiusq́; partes diligenter explanando ita persequar, vt quibus modis hoc scelus perpetretur, abundè cognosci possit. Tum de pœnis, quas in reos criminis hujus leges nostræ converti jubent, perspicuè agam. Postremò dicam nonnihil de publico judicio, in quo de nefando hoc peccato, & ejus coërcitione disceptatur. Divinum numen instituto nostro benignè faveat, vt quæ proposuimus, feliciter, et dextrè in publicum cõmodum explicare possimus.

CAP.

CAPVT I.

Quid sit majestatis crimen: Et quis, adversus quem illud committatur.

SUMMARIA.

1 *Definitio criminis maiestatis.*
2 *Maiestas alia est aeterna, alia temporalis.*
3 *Maiestatis crimine in iure nostro significatur plerunq; temporalis sive humana maiestatis crimen.*
4 *Crimen maiestatis iure civili simpliciter appellatum, Ius Canonicum vocat etiam crimen laesae maiestatis.*
5 *Crimen aliud est publicum, aliud extraordinarium.*
6 *Crimen publicum quod sit.*
7 *Quâ nota publicum crimen distinguatur à privato crimine.*
8 *Communia utriusque criminis, publici, & extraordinarij.*
9 *Qua ex lege publicum sit, maiestatis crimen.*
10 *Legis Iuliae autor quis sit, quò ad maiestatis crimen, in dubium vocatur.*
11 *In dubio quod verisimilius est, teneri debet.*
12 *Lex Iulia maiestatis à Iulio Caesare lata praesumitur.*
13 *Quis civis sit Romanus.*
14 *Solus civis Romanus committit maiestatis crimen.*
15 *Solus subditus maiestatis crimen committit.*
16 *Clericus an maiestatis committat crimen insurgendo contra Imperatorem?*
17 *Clericus Imperatori subiectus non est.*
18 *Clericus maiestatis crimen committit etiam in persona Imperatoris.*
19 *Rex, Princeps, Comes, Baro, Imperatoris Vasallus, attamen Romano Imperio non subiectus, an maiestatis crimen adversus Imperatorem committat, quaestio anceps.*
20 *Negata sententia probatur.*
21 *Aientem opinionem amplectitur Menochius.*
22 *Menochij sententia reijcitur.*
23 *Provincia, Civitas, Pagus Imperij Romani, committere quoque potest maiestatis crimen, offendendo Imperatorem.*
24 *Maiestatis crimen committitur adversus Imperatorem, & populum Romanum, eiusq; securitatem.*
25 *Obiectio: crimen maiestatis hodie non amplius committi adversus populum Romanum, ex quorundam sententia.*

26 *Populus Romanus communicavit saltem cum Imperatore suum Imperium, non eo prorsus se abdicavit.*
27 *Populus exterus an committat maiestatis crimen in Reges, Duces, aut Principes suos.*
28 *Subditi Papæ Romani committunt etiam hoc crimen in ipso Pontifice.*
29 *An Princeps Romanus hoc crimen committat in Pontifice, quæstio magna.*
30 *Papa Romanus dicitur omnium Christianorum dominus.*
31 *Romanus Pontifex sua consecratione, & coronatione promovet Cæsarem ad Imperium.*
32 *Pontifex Romanus deponere audet Imperatorem.*
33 *Et vacante Imperio est Imperator sua opinione.*
34 *Imperator dicitur mundi dominus.*
35 *Imperatori omnis anima subdita dicitur.*
36 *Potestas & ius eligendi Pontificem Romanum pertinet ad Imperatorem, ut & creatio Archiepiscoporum.*
37 *Ius divinum potestatem secularem adimit personis Ecclesiasticis.*
38 *Petrus non fuit dominus reliquorum Apostolorum, sed socius.*
39 *A Paulo reprehensus fuit Petrus.*
40 *Papa Romanus sit clerus, non herus mundi.*
41 *Ius civile de perduellionis crimine ab usu recessisset, si Imperator in Pontifice Romano crimen maiestatis committeret.*
42 *Philippus Francorum Rex male excepit, & tractavit legatos Pontificis, Bonifacij Octavi, significantis per eos se dominum esse omnium regnorum ac ditionum.*
43 *Idem Rex futurum nominavit eundem Papam.*
44 *Confœderatus populus an maiestatis crimen committat in Romano Imperatore.*
45 *Fœderati duplicis sunt generis.*
46 *Confœderatio non inducit subiectionem.*
47 *Non subditus haud committit maiestatis crimen.*
48 *l. non dubito. §. ultim. ff. de capt. & postlim. revers. explicatur.*
49 *Dictio SECVRITAS, quid significet in l. 1. §. 1. ff. de lege Iulia maiestat. ubi Interpretes variant.*
50 *Dolus requiritur, ut sit maiestatis crimen.*
51 *In maiestatis crimine sufficit etiam conatus dolosus.*
52 *Notatio criminis maiestatis.*
53 *Maiestas quid sit.*
54 *Maiestatis notatio.*
55 *Est & populi Romani maiestas.*
56 *Eaq; publica dicitur maiestas.*

57 *Est item*

57 *Est item maiestas Imperatoris: cuius varia appellatio.*
58 *Maiestas Pretoris impropriè dicitur.*
59 *Responsio ad obiectionem de Pretoris maiestate.*

MAIESTATIS crimen, est crimen publicum, quo civis Romanus contra Imperatorem, vel populum Romanum, eiusvè securitatem dolosè aliquid molitur. Ita ab obiecto suo dictum, quod in hos tantum committitur, quorum est temporalis aliqua maiestas; vt sunt Imperator, & populus Romanus. 1

Huius definitionis, & notationis veritas nobis indaganda & eruenda erit.

Est quidem maiestas alia æterna, quę & Dei maiestas dicitur, alia temporalis, sive humana, Authent. Gazaros, in fin. princ. C. de heret. c. vergentis, extr. eod. tit. & l. non distinguemus, 32. §. Sacerdotio, ff. de recept. qui arbitrium receper. 2

Sed quoties in libris nostri juris simpliciter mentio fit de crimine maiestatis, significatur crimen maiestatis temporalis, vti arguit. l. 4. §. in mortem, C. de heretic. eò quod crimen maiestatis æterna, sive Dei propriè sacrilegium dicitur, l. 1. in princ. ff. de lege Iulia maiestat. vt est heresis, l. 4. in fin. l. damnato. 6. §. 1. l. Quicunque. 8. §. nulli. C. de heret. item Apostasia, l. 1. l. 2. & l. 4. C. de Apostatis, &c. 3

Quod autem in ff. & Cod. Tit. ad leg. Jul. maiest. simpliciter crimen maiestatis dicitur, 4

id jus Canonicum per additamentum appellat etiam crimen læsæ maiestatis, c. Felicis, in princ. ibi: Sicut reus criminis læsæ maiestatis. Tit. de pœnis in 6. & in c. Pastoralis, §. præhabitis, & §. Rursus, Tit. de sent. & re judic. in Clement. Alicubi etiam simpliciter crimen maiestatis, Can. Imprimis, §. Si verò, ibi, de crimine maiestatis, 2. quæst. 1.

5 Definiendo autem hoc crimen, loco generis, dico, quod sit PUBLICUM CRIMEN. Cùm enim crimen aliud sit extraordinarium, tot. tit. ff. de extraord. criminibus non etiam perpetuò publicum, l. 3. ff. d. tit. Aliud verò publicum crimen sit, l. 4. §. 1, ibi, volumus esse publicũ crimen, C. de her. & crimen maiestatis sit publicum crimen, l. 1. ff. de pub. jud. certè hoc genere crimen maiestatis, ab extraordinariis criminibus distinguendum fuit.

6 Est autem publicum crimen, cuius judicium lege quadam specialiter publicum esse jubetur, d. l. 1. ff. de public. judic. & d. l. 4. §. 1.
7 C. de hæret. † quâ solâ notâ simpliciter publicum crimen ab extraordinariis criminibus distinguitur; Id quod etiam agnoscit Iohan.
8 Robert. lib. 4. sentent. jur. cap. 10. † cum aliâs quædam communia habeant extraordinaria aliqua, & publica crimina. Nam vt publica crimina accusationem habent. tot. tit. ff. & Cod. de accusat. ita & stellionatus, & expilatio hereditatis, quæ extraordinaria sunt crimina,

mina, accusationem habent; nec tamen publica sunt, l. 3. ff. de extraordin. criminib. Et vt publici criminis accusatio cuivis è populo permissa est, § 1. Instit. de public. judic. & l. Palam. 43. §. Senatus, ff. de ritu nupt. Ita & crimen violati sepulchri, quod extraordinarium est, interdum à quovis in judicium deduci potest, l. 3. in princ. ff. de sepulchro violato; vt & crimen termini moti, l. 3. in fin. pr. ff. de termino moto.

Est autem crimen maiestatis publicum ex 9
lege Julia, d. l. 1. ff. de public. judic. l. 3. vers. lex autem Julia, l. vlt. vers. planè, & Rubr. ff. de leg. Jul. maiestat. & Rubric. C. ad leg. Jul. maiestat.

Quis autem huius legis Juliæ autor fuerit, 10
dubitare video, & quidem non sine causa; quippe cum & lex de adulteriis coërcendis, lex Julia dicatur, licet nō à Julio Cæsare, sed à D. Augusto lata sit, l. 1. ff. ad leg. Jul. de adulter.

Verùm quia in dubio, id quod verisimilius 11
est, teneri debeat, verisimilius † autem sit, à 12
Julio Cęsarę hanc latam esse legem, siquidem nominis ratio id suadeat, nec apud vllum idoneum scriptorem alius huius legis autor inveniatur, certè huic opinioni locus relinqui debet. Odofredus quoque ad Rubric. C. ad leg. Jul. maiestat. à Julio Cæsare editam hanc esse legem dicit. Idem etiam affirmat Tiber. Decian. in Tractat. criminali, lib. 7. cap. 3. n. 6.

A qua sententia licet non omninò alienus sit Hieron. Gigas in Tract. de crimine læsæ maiestatis, lib. 1. Rubr. 1. num. 6. Autumat tamen ibidem num. 7. dici quoque posse, quod lata sit hæc lex, vel ab Augusto Octaviano, vel Caio, posteaquam occisus fuit Julius Cæsar, & in eius persona crimen læsæ maiestatis commissum, proindeque in honorem Julii Cæsaris primi Imperatoris, contra quem commissum sit huiusmodi crimen, eam legem ita dictam fuisse.

13 Addo in definitione, QUO CIVIS ROMANUS; † Est autem civis Romanus, qui in orbe Romano Imperatori Romanorum mediatè, vel immediatè subditus est, l. in orbe, 17. vbi Dd. ff. de statu hominum, & l. sed si con-
14 ditione 6. §. solemus, ff. de hered. Inst. † Hic autem solus, non etiam quilibet peregrinus, id est, exteræ nationis civis, qui Imperatori, sive Romano Imperio suppositus non est, crimen maiestatis committit, text. est in c. Pastoralis, §. Rursus, vbi gloss. Imol. & alii Canonistæ, Tit. de sentent. & re judic. in Clement. vbi Robertus Siciliæ Rex faciendo confœderationes, & conspirationes in offensam Henrici Imperatoris Romani, expressè negatur crimen læsæ maiestatis commisisse, eò quod ipsi Imperatori eo modo non subfuerit, vt in eum crimen læsæ maiestatis contrahere potuerit.

Hinc

Hinc communi Interpp. calculo receptum, quod non, nisi subditus crimen maiestatis committat, Nicol. Boër. post alios, quos citat in Tractat. de seditiosis, cap. 6. n. 2. & 3. Martin. Laudens. Tract. de crimine læsæ maiestat. quæst. 34. Hier. Gigas Tract. eod. lib. 1. Rubric. Qualiter, & à quibus crimen læsæ maiestat. committ. quæst. 34. & 68. Ludovic. Carer. in pract. criminal. Tractat. appellationis in criminalibus casu 11. num. 21. pag. 25. fac. 2. Jul. Clar. lib. 5. sentent. §. læsæ maiestatis crimen, num. 6. & 7. Gomez in Commentariis juris Tomo 3. cap. 2. num. 10. vers. vnum tamen, Tiber. Decian. Respons. 18. num. 320. volum. 1. & Tractat. criminal. lib. 7. cap. 5. num. 12. & cap. 8. n. 5. Menoch. cons. 99. num. 16. 17. 97. & seq. 15

Quid ergo, si Clericus contra Imperatorem insurgat, & eius vitę insidietur, nunquid crimen læsæ maiestatis committit? Est hæc pulchra, sed controversa quæstio, quam longo stylo examinat Præpositus in c. In primis §. De persona, 2. quæst. 1. Negatæ autem conclusioni patrocinantibus manum porrigere videtur Pontifex Romanus in c. 2. extr. de foro competent. † Ubi decretum, ne Clericus seculari jurisdictioni sit suppositus. Id quod etiam Innocentius affirmat in cap. significantibus, extr. de offic. & potest. delegat. vbi dicit, quod Clerici sint exempti à 16 17

jurisdictione Imperatoris. Si ergo Clericus Imperatori subiectus non est, certè adversus eum crimen maiestatis committere non dicitur. Id quod post alios asserit etiam Nicol. Boër. Tract. de seditiosis, cap. 6. num. 3. Roland. à Valle cons. 4. n. 4. vol. 1.

18 Sed prædicta ratione non obstante, verior est eorum sententia, qui tenent, quod & Clericus in crimen maiestatis incurrat, si contra Imperatoris salutem quid machinetur, per text. in c. vltim, vers. Nec aliquis, Tit. de offic. & potest. de leg. in 6. vbi traditur, quod etiam Clericus sit de districtu, & Provincia sui Principis, etiamsi à jurisdictione seculari sit exemptus. Confert item huc text. in Can. Siquis laicus, vers. Episcopus, 22. quæst. 5. vbi cavetur, vt Episcopus, vel alia persona Ecclesiastica, quæ perversè, & dolosè Regis sui regnum tractaverit, & in mortem Regis aliquo machinamento insidietur, degradatione puniatur. Atque hanc affirmatam decisionem amplectuntur post alios, quos referunt & sequuntur Hieron. Gigas Tractat. de crimine læsæ maiest. lib. 1. Rubr. Qualiter, & à quibus crimen læsæ maiestatis committ. quæst. 63. & Tiber: Decian. in pract. criminal. lib. 7. cap. 8. n. 6.

19 Prædictæ quæstioni proxima est illa, an Rex, Princeps, Comes, aut Baro aliquis, Vasallus Imperatoris, attamen Romano Imperio

rio

rio haud ſubiectus, maieſtatis crimen adverſus Imperatorem aliquid hoſtiliter moliendo committat?

Et quamvis affirmatæ ſententiæ patroci- 20
nium adferre videatur, quod Vaſallus ratione feudi iuriſdictioni ſui domini ſubiectus eſt, quippe cum Vaſallus exorta de feudo lite inter ſe & convaſallum iudicem feudi dominum habeat, c. Ex tranſmiſſa, extra de foro competenti, c. cæterum extr. de iud. Tit. 34. in princ. & Tit. 55. §. pen. lib. 2. feud. Tit. 18. in princ. lib. 1. feud. Veruntamen propior eſt veritati negata concluſio, per textum in dict. c. Paſtoralis, §. Denique, junct. §. rurſus, Tit. de ſentent. & re judic. in clement. vbi habetur, quod Imperator Romanus in exterum Regem Vaſallum ſuum, ratione perſonæ illius Regis, nullam ſuperioritatem habeat, ita vt in ſe ab ipſo Rege maieſtatis crimen commiſſum dicere non poſſit. Atq; hanc concluſionem probant, quos refert, & ſequitur Tiber. Decian. dict. libr. 7. cap. 8. num. 7.

Menoch. tamen conſil. 99. nu. 99. & ſeqq. 21
allegando autoritatem Gomezii in §. Rurſus, Inſtit. de action. expreſsè ſcribit, quod & vaſallus Imperatoris, licet eius ſubditus non ſit, offendendo ipſum, crimen maieſtatis committat, quò ſcilicet ad privationem feudi, quod ab Imp. poſſidet.

Verum

22 Verùm huic pronunciato ægrè ſubſcribo, tum quia, vt oſtendi, ſolus ſubditus, & quidem ſubditus ratione perſonæ, crimen maieſtatis committit: tum quia Reus maieſtatis non ſolo feudo ſuo, ſed tota ſua ſubſtantia privatur, eaq́ue fiſco vindicatur, l. Eorum, 9. & l. vltim. ff. ad legem Jul. maieſtat. l. Quiſquis, ſ. in fine principii C. ad legem Jul. maieſtat.

23 Quod autem de cive Romano hactenus dictum eſt, exaudiri quoque debet de aliqua Imperii Romani vniverſitate, veluti provincia, civitate, pago, ſi contra Imperatorem, vel Imperii Romani proſperitatem aliquid machinentur, per text. in l. 1. §. 1. quóve cœtus conventuſvè fiat. ff. ad legem Jul. maieſt. & in l. Quiſquis, ſ. in princ. ibi, cum militibus, vel privatis, vel barbaris, C. ad leg. Jul. maieſt. & in conſtit. Henrici VII. Imperatoris, ad reprimendum, §. Ad hoc ſi qua communitas, Corpus vel Collegium, col. 11. in extravagantibus. Et tradit Hieron. Gigas dict. tract. de crimine læſæ maieſt. lib. 3. Rubric. de Rebellibus quæſt. 12. & Decian. dict.
24 lib. 7. cap. 8. nu. 8. † Neque rarum eſt in jure noſtro, quod jura ſingulari ſermone ſcripta, extenduntur etiam ad plures, l. 1. §. 1. ff. de aſſig. libertis.

Ex prædictis cognoſcitur, quis crimen maieſtatis committat. Dehinc ex definitione pro-

ne proposita notandum, adversus quem facinus hoc nefandum admittatur.

Adieci in definitione, CONTRA IMPERATOREM, VEL POPULUM ROMANUM, EIUSVE SECURITATEM, quod membrum definitionis petitum ex l. 1. §. 1. l. 3. §. Eadem lege, & l. 4. in fin. l. 5. l. 6. l. 7. §. Hoc tamen, & l. vlt. ff. de leg. Julia maiestat. l. vn. C. si quis Imperator. maledixerit, & l. quisquis, 5. C. ad leg. Jul. maiest. & dict. constit. Henrici VII. Imp. Ad reprimendum, col. 11. in Extravagantibus. † Ex quibus locis 25
omnibus deprehenditur, crimen hoc committi adversus Imperatorem Romanum. Item adversus Romanum populum, eiusvè securitatem.

Sed dixerit hîc aliquis, frustra à nobis adiici 26
mentionem de populo Romano, eò quòd lege Regia, quæ de Imperio Principis lata est, Populus Romanus ipsi Imperatori, & in Imperatorem omne suum jus & imperium contulerit, l. 1. in prin. ff. de constit. princ. & §. Sed & quod Principi, Instit. de jure natural. gent. & civil. Unde dicendum videtur, licet antiquitus quidem populi Romani maiestas fuerit, vti ex Cic. variis in locis discimus, maximè verò in oratione pro Rabirio, vbi, operamque, ait, darent, vt imperium populi Romani, maiestasque conservaretur. Item in 3. Philip. vbi, vt omnes, inquit, ad auto-

autoritatem huius ordinis, maiestatemq; populi Romani defendendam conspirasse videantur; Attamen post legem illam Regiam ad solum Principem Romanum pertinere maiestatem, proindeque maiestatis crimen adversus populum Romanum amplius non committi. Id quod sentiunt etiam nonnulli ex Interpretibus iuris nostri; inter quos est Dominus Wesenbec. in paratit. ff. de leg. Jul. maiestat. num. 4. & ad §. Publica autem judicia, num. 3. Institut. de publ. judic.

27 Verùm enimverò hæc obiectio non infringit sententiam nostram. Quamvis enim ipsâ lege Regia populi Romani jus in Principem collatum dicatur, populus tamen Romanus suam potestatem & jus potius cum Principe communicasse, quàm à se omninò abdicasse existimandus est, vti abundè evincitur ex l. Humanum 8. C. de leg. Ubi Theodosius Augustus, leges à se latas, non aliter vim habere voluit, quam si probarentur à patribus conscriptis, & Senatus decreto; & patet ex eo, quod etiam post legem illam Regiam populus Romanus suam maiestatem retinuit, vti arguit dict. l. non dubito, 7. §. penultim. in fine, ibi, si ceos, qui maiestatem nostram, ff. de captiv. & postlim. reverf. & l. 3. verf. Lex autem Julia, ibi maiestatem publicam, ff. de leg. Jul. maiestat. quodque, adversus populum Romanum

crimen

crimen maiestatis committi, Ulpianus Jurisconsultus scribit in dict. leg. 1. § 1. ff. dict. tit. qui vt autor. dict. l. 1. §. 1. ff. de Const. it. princ. non ignoravit, quod imperium & jus suum populus Roman. in Imp. contulerit. Duaren. quoque ad dict. Tit. de constitut. Principum Cap. 1. disertè tradit, credibile esse, quod populus Romanus potestatem & jus suum, magis cum Principe communicarit, quam à se omninò abdicarit.

Adhæc definitio nostra hoc ipso etiam 28 imperfectionis argui posse videtur, quod communiter Interpp. nostri scribunt, maiestatis crimen exteros etiam populos in suos Reges, Duces, & Principes committere, vt post alios quos referunt, & sequuntur, tradunt Tiber. Decian. Tractat. criminal. libr. 7. cap. 4. numer. 6. & Mynsinger. Responsf. 44. num. 10. decad. 5. & cent. 5. observ. 41. At sciendum, nos hic de eo disserere maiestatis crimine, quod autoritate juris civilis Romanorum eiusmodi crimen est, & legibus Romanis vindicatur. Et quia exteri quoque Populi maximè verò Europæ, Romano jure nobiscum vtuntur, certè & ipsi hoc solo respectu cives Romani quodammodo dici possunt, & eorum Reges, Duces, Principes instar sunt Imperatoris, & nationes eorum loco orbis Romani, vt proinde nostra definitio exteros quoque popu-

los,

los,& eorum magistratus supremos aliquo modo comprehendat. Quamvis principaliter nos agamus de eo maiestatis crimine, quod leges Imperatorum Romanorum vindicant, in veris civibus Romanis.

Quoniam verò exterarum quoque nationum cives, & subditi, adversus suum etiam magistratum supremum maiestatis crimen committunt, si jure Justinianeo nobiscum vtantur; cui sententiæ suffragatur etiam textus in l. famosi, 7. §. Hoc tamen, ibi, vel ad exemplum legis vindicandum est. ff. de leg. Jul. maiest. & in l. Non dubito 7. §. 1. ibi, alterius populi maiestatem, ff. de captiv. &
29 postlim. reverss. † Certè idem quoque de subditis Papę Romani si illi contra hunc cõspirent, dicendum videtur, per text. in c. solitæ, extr. de maioritat. & obedien. & tradit. Boër. Tract. de sedit. cap. 6. num. Hier. Gigas lib. 1. Rubric. 2. Quotuplex sit maiestas, num. 2. & 3. Jul. Clar. lib. 5. sentent. §. læsæ maiestatis crimen, num. 2. & alii plures quos refert & sequitur Decian. dict. Tractat. criminal. lib. 7. cap. 4. num. 4.

30 Sed magni momenti quæstio illa est, committatnè Imperator noster Romanus crimen maiestatis, si adversus Pontificem Romanum insurgat? Et certè si quid testimonium Papæ Romani in re & causa propria contra Principem Romanum valet, id omnino dicendum

cendum videtur. Autoritate enim juris Pontificii, Papa Romanus, † vt omnium Christianorum Dominus est, can. cuncta per mundum. 9. quæst. 3. ita quoque imperium habet in Cæsarem Romanum, & omnes gentes ac regna, c. 1. Tit. de consuetud. in Extravagantib. † Estqúe illi potestas non modò sua con- 31 secratione & coronatione promovendi Cæsarem ad imperium, c. venerabilem, extr. de Elect. sed † & deponendi eundem. c. 2. Tit. 32 de sentent. & re judicata in 6. & † vacante 33 imperio Papa Imperator est, c. vn. Tit. Ne sede vacante aliquid innovetur, in extravagant. vt qui vtrumque gladium habet, & sub quo imperium est, d. c. Solitæ, extr. de maioritat. & obedient. Quibus argumentis omnibus accedit etiam communis Canonistarum conclusio, qua volunt, quod Imperator quoque offendens Papam crimen maiestatis incurrat, Gigas dict. Tract. de crimine læsæ maiestatis, lib. 1. Rubr. Qualiter & à quibus crimen læsæ maiestat. committ. quæst. 2. Tiber. Decian. dict. lib. 7. cap. 8. num. 1.

30 (margin, beside line 2)

Sed huic Pontificiæ autoritati, & humano testimonio, vicissim obijcimus autoritatem non modò civilis, sed & Pontificii, ac divini juris. † Jure civili Imperator dicitur Do- 34 minus mundi, l. Deprecatio 9. ff. de lege Rhodia de jactu, & † omnis anima eodem etiam 35 jure Principi Romanorum subiecta dicitur,

in dict. cōst. Henrici VII. Imp. Ad reprimendum, 11. col. in extravagantib. Est ergò Cęsaris maiestati subditus etiam Pontifex Romanus.

36 Jus Canonicum quod attinet, ex papali etiam placito, potestas, & jus eligendi Pontificem Romanum, & ordinandi Apostolicam sedem, & creandi Archiepiscopos, ad solum Imperatorem Romanum pertinet, Canon. Hadrian. Papa Roman. 22. & Can. seq. distinct. 63. Nicolaus item Papa in can. cum ad verum distinct. 96. Cum, ait, ad verum ventum est, vltra sibi nec Imperator jura Pontificatus arripuit; Nec Pontifex nomen Imperatorium vsurpavit: quoniam idem mediator Dei, & hominum homo Christus Iesus actibus propriis & dignitatib. distinctis officia potestatis vtriusq; discrevit.

37 Audiamus porrò de potestate Imperatoris etiam in Pontificem Romanum, & huius subiectione & officio oracula divina Luc. 22. vers. 25. & seq. ait Christus: Reges gentium dominantur, vos autem non sic. Et 1. Petr. 2. vers. 13. Petrus, cuius Pontifex se successorem affirmat, ait: subditi estote omni humanæ creaturæ, propter Deum, sive Regi tanquam præcellenti, sive Ducibus, tanquam ab eo missis. Cui sententiæ consonat Paulus Apostolus in Epistola ad Romanos, cap. 13. in princ. Omnis, ait, anima potestatibus sublimioribus subdita sit. Non enim est potestas, nisi

nisi à Deo, quæ autem sunt, à Deo ordinata sunt. Per potestates autem sublimiores intelligit Paulus Principes, vt statim ibidem sequitur: Non Ecclesiasticas personas, vt prius ex Luca relatum fuit. Id quod etiam disertè testatur Apostolus Petrus. 1. Petr. cap. 5. v. 3. Neque, ait, vt dominantes in cleris, sed forma facti gregis.

Et sanè quod Petrus nō dominus reliquo- 38
rum Apostolorum, sed socius fuerit, patet ex cap. 1. & 2. Epistolæ Pauli ad Galatas, & tota Actorum Apostolicorū historia. † Quinimò 39
ex d. 2. c. ad Galatas apertè constat, quod Petrus, cum minus fideliter egisset, reprehensus à Paulo fuerit, quodq; non invitus reprehensioni paruerit. Si ergo Papa Romanus se profitetur successorē Petri, † Clerus sit, nō herus 40
mundi; doceat Populū legem & Evangeliū, nō sceptro & gladio eundē regere præsumat.

Hinc ergo concludendum videtur Imperatorem Romanum adversus Papam, non cōmittere maiestatis crimen, cum huic Cæsarea ipsius maiestas subiecta non sit.

Quod si Imperator Romanus suppositus 41
esset Papæ Romano, ita vt offendens eum, in crimen maiestatis vocari possit, nunquam certè perduellionis crimen in persona Imperatoris quisquam amplius committeret, contra l. vlt. ff. de leg. Iul. maiest. sed in solius Pontificis persona hoc scelus perpetraretur,

At quis sanæ mentis hanc juris nostri metamorphosin ferendam esse crederet?

42 Philippus sanè Francorum Rex laudatissimæ memoriæ, hunc Papæ Romani turbulentum spiritum non tollerasset: quippe qui, cùm Serenitati eius Bonifacius Octavus legatos misisset, & scripsisset, significans, se non modò spiritualem, verum etiam temporalem omnium regnorum ac ditionum, quæ in orbe Christiano sunt, dominum esse, sibique ipsum quoque Regem, etiam in temporalibus subesse, ac beneficiorum, & præbendarum collationem ad se pertinere; ex sententia Procerum, & Senatus Parlamentici, ac Theologorum Parisiensium, non modò epistolam Pontificis publicè in area Palatii Parisiensis coram ipsis legatis & nunciis discindi, lacerari, & cremari, sed & ipsos legatos catamidiatos, mithellatos, ac sordidos à Carnifice in aream eiusdem Palatii plaustro advehi, atque ita plebis totius ludibrio infamiaque affectos, Romam remitti jussit.

43 Quinetiam † ipsi Papæ in hæc verba rescripsit: Philippus Dei Gratia Francorum Rex, Bonifacio, se gerenti pro summo Pontifice, salutem modicam sive nullam. Sciat tua maxima fatuitas, in temporalibus, nos alicui non subesse. Aliquarum Ecclesiarum & præbendarum vacantem collationem ad nos jure Regio pertinere: Fructus earum contra omnes

omnes possessores vtiliter nos tueri; Secus autem credentes fatuos reputamus, atque dementes. Hanc historiam vir diligentissimus, & Iurisconsultus elegantissimus Franciscus Hotomanus ex probatis autoribus memorat lib. disp. feudal. cap. 9.

Est & illa non contemnenda quæstio, si quis ex fœderato populo, contra Imperatorem, vel populum Romanum quid moliatur, an crimen læsæ maiestatis committat? Interpretes nostri communiter in affirmantem sententiam abierunt, quos recensent & sequuntur Hier. Gigas in dict. Tract. de crimine læsæ majest. lib. 3. Rubr. de Rebellib. quæst. 21. Tiber. Decian. in Tract. criminal. lib. 7. cap. 5. nu. 19. & Menoch. cons. 99. n. 37. & seqq. Sed † absq; distinctione huic subscribere conclusioni renuo; Distinguo autem hunc in modum: Aut comprehensum est fœdere, ut exterus ille populus majestatem Imperatoris & populi Romani comiter conservet; qualis pactio fœderi tunc adiici maximè solet, quando populus Romanus altero illo populo superior est: Aut eiusmodi conditio non est nominatim adposita fœderi. Priori casu autumo committi crimen maiestatis, si quam in Imperatorem vel populum Romanum exterus ille Populus, vel civis quisquam eius potestati subiectus, offensionem concitet: Posteriori 44 45



verò casu non item, per textum in l. Non dubito 7. §. 1. ff. de captiv. & postlim. reversis vbi Proculus Iurisconsultus duo illa fœderis genera invicem studiosè separat. Unde patet casu hoc posteriori, peregrinum illum populum fœderatum, licet quid committat in populum Romanum, non tamen ex eo

46 maiestatis crimen incurrere. Quæ † sententia hoc ipso quoque confirmatur, quod confœderatio subiectionem non inducit, per text. in c. Ex parte Abbatissæ, extr. de privileg. & in d. l. Non dubito. 7. in princip. & §. 1. in princ. ff. de captiv. & postlim. revers. vbi traditur, quod populus fœderatus liber populus maneat, nec sit subiectus fœderato populo, id quod scribunt etiam Doctores nostri quos refert & sequitur Menoch. lib. 1. de

47 arbitr. jud. quæst. vlt. num. 20. Ille † autem qui ratione suæ personæ subditus non est, non committit maiestatis crimen, vt supra ostendi ex C. pastoralis, §. Rursus, vbi gloss. & Canonistæ, Titul. de sentent. & re judic. in Clement. Nisi ad hoc se pacto nominatim astrinxerit, quod maiestatem alterius populi, eiusque Imperatoris comiter conservare velit, quo casu, vt dixi, vigore pacti illius contra eum populum, illiusque Imperatorem maiestatis crimen committit.

Non

Non tuetur generalem Doctorum sententiam textus in dict. leg. Non dubito, §. vltim. ff. de captiv. & postlim. revers. vbi Proculus Jurisconsultus, Ac fiunt, ait, apud nos rei ex civitatibus fœderatis, & in eos damnatos animadvertimus. Huius enim axiomatis non hæc sententia est, quod populus Romanus jurisdictionem quandam in cives populi fœderati habeat, ita vt in eos, si quid etiam extra Imperium Romanum inter suos cives committant, merum imperium capiendo, & damnando illos exercere possit; Sed illud prædicto enunciato Jurisconsultus docet, si fœderatus populus Reum aliquem contumaciter absentem, & de crimine convictum per sententiam damnasset, isque Reus damnatus in Romanum orbem se contulisset, populus Romanus pœnam in eum convertere possit. Ita prædictum locum interpretatur Budæus in Annotationibus Pandectarum ad dict. leg. Non dubito 7. ff. dict. tit. & eum secuti Alciat. libr. 1. parerg. jur. cap. 14. & Menoch. dict. lib. 1. de arbitr. judic. quæst. vltim. num. 15. & rectè quidem, vt ibidem arguunt verba hæc: IN EOS DAMNATOS ANIMADVERTIMVS, damnatos scilicet à fœderato populo. 48

Porrò adjicio in definitione, EIUSVE SECURITATEM, ex d. l. 1. §. 1. ff. de lege 49

 Julia

Iulia maiestat. Controvertitur quid eo loco SECURITAS significet. Accursiani duplicem adferunt interpretationem; Prior est de salvo conductu, quem populus Romanus alicui tribuit: quam explicationem sequitur etiam Wesenbec. in paratit. ff. Tit. de leg. Iul. maiestat. num. 4. Posterior est de fœdere, quod populus Romanus cum extero populo junxit. At Budæus, cuius sententiam ex Latinis autoribus probat Duaren. libr. 2. disputat. anniverf. cap. 22. & sequitur Menoch. lib. 2. de arbitr. judic. cent. 4. casu 386. num. 3. & consf. 99. num. 27. SECURITATEM rectè interpretatur tranquillitatem. Utraque Accursianorum explicatio strictior est, & angustior, quam locus ille patitur.

50 Postremò addo in definitione DOLOSE ALIQVID MOLITVR. Non enim nisi dolo malo crimen maiestatis committitur. l. 1. §. 1. l. 4. & l. penultim. ff. de leg. Iul. maiest.

51 Et dico †MOLITVR, quo verbo significo nõ tantum actum jam perfectum, sed & solum conatum, per text. in d. l. Quisquis, 5. in pr. ibi: *Eadem enim severitate voluntatem sceleris, qua effectum, puniri jura voluerunt.* C. ad leg. Iul. maiestat. Cui consonat Constit. Caroli IV. in aurea bulla. Tit. Von der Ertzbischoffe Segen / in gegenwertigkeit eines Keysers. Est item communis Doctorum nostrorum sententia, quod solo quoque conatu ad exterio-

exteriorem actum deducto hoc facinus perpetretur. Didac. Covarruv. ad c. si furiosus, Tit. de homicidio in Clement. Relectionis parte secunda, in principio num. 7. Cyrillus Fulgeonius in summa criminali, Rubric. de offic. Præsidis, §. 9. num. 3. & Rubr. de publ. jud. §. 3. num. 4. Decian. dict. Tract. crimin. lib. 7. cap. 35. Sed de hac quæstione infra suo loco plenius agam.

Quibus autem modis contra Imperatorem vel populum Romanum eiusve securitatem aliquis dolosè quidpiam moliatur, vt in maiestatis crimen incurrere dicatur, ostendam capite sequenti, vbi exponam etiam, quatenus in Ducibus, aliisque Principibus Imp. Romanum tanquam superiorem recognoscentibus hoc crimen committatur.

Quod attinet notationem huius criminis, 52
ostendi id appellari ita à suo subiecto, sive obiecto, à maiestate scilicet Imperatoris, & populi Romani, quæ hoc crimine læditur, ac violatur, l. 3. ibi, maiestatem publicam læserit, & l. in quæstionibus, 8. ibi, læsæ maiestatis, ff. de leg. Jul. maiestat. & l. vlt. in fin. ibi in violata maiestat. C. de abolit.

Est autem maiestas (temporalis) suprema 53
dignitas & amplitudo liberi alicuius populi, id est, potestati alterius populi non subiecti, d. l. Non dubito, 7. §. 1. ff. de captiv. & postlim. reverf. Ita † quasi maior status, sive 54

maior poteſtas dicta. Oldrad. conſil. 43. n. 8. & alii quos referunt & ſequuntur Hier. Gigas in dict. Tract. de crimine læſæ maieſt. lib. 1. Rubr. 2. & Decian. dict. Tract. criminal. lib. 7. cap. 1. num. 3.

55 Unde & populi Romani maieſtas eſt, l. 1. §. 1. ff. de leg. Jul. maieſt. & d. l. Non dubito 7. §. 1. ff. de captiv. & poſtlim. reverſ. Cic. in Philip. 3. Item in partit. Orator. in oratione pro Rabirio, & lib. 2. de invent. cap. 3. quæ publica maieſtas dicitur in d. l. 3. ibi, maieſtatem publicam, ff. de leg. Iul. maieſt. Cum publicum dicatur id, quod eſt totius populi, §. 1. Inſtit. de publ. jud. & l. Palam 43. §. Senatus, ff. de ritu nuptiar.

57 Quia verò populus Romanus omne ſuum jus & imperium cum Imperatore communicavit, vti ſupra oſtendi, iccirco Imperatoris quoque maieſtas eſt, quæ Imperatoria dicitur maieſtas, in proëmio Inſtit. in princ. & maieſtas regnantis in l. digna vox, 4. C. de legib. Item principalis maieſtas in d. l. famoſi, 7. §. 3. ibi, ob principalis maieſtatis, ff. de leg. Jul. maieſt. & l. pen. ibi, ex principali maieſtate, ff. de hered. Inſtit. tum etiam maieſtas regia in Tit. 27. de pace tenenda, & eius violatoribus, in princip. ibi, ſolitum regiæ maieſtatis, lib. 2. feud. & l. 1. Cod. vt nemo privatus titulos prædiis ſuis, vel alienis imponat.

Meni-

Meminit quidem Ictus Paulus in l. pen. ff. de just. & jur. & in l. Si familia 9. ff. de jurisdict. meminit, inquam, de prætoris quoque majestate, sed non nisi per κατάχρησιν, & abusionem. 18

Committit etiam crimen maiestatis, qui vitæ Prætoris insidias ponit, d. l. 1. §. 1. vers. Cujusve opera, ibi, quò quis magistratus populi Romani, quive imperium potestatemve habet, occidatur, ff. de leg. Jul. maiestatis, Verùm non quod ipsiusmet Prætoris aliqua sit maiestas, ita propriè dicta, sed quod in persona Prętoris violatur populi Romani maiestas. Id quod ex eo cognoscitur, quod in d. l. 1. §. 1. ff. d. t. definitioni criminis maiestatis contra populum Romanum commissi, subiicitur etiam exemplum de eo facinore, quo quis de nece cogitavit magistratus populi Romani. 19

CAP. II.

Quotuplex sit maiestatis crimen: & quibus modis illud committatur.

SUMMARIA.

1 *Duplex est maiestatis crimen.*
2 *De maiestatis crimine quod facto committitur: ubi textus lectio emendatur.*
3 *Definitio criminis maiestatis, quod maledicto committitur.*
4 *Error interpretum detegitur.*

1 Facto

5 *Facto commissum crimen maiestatis duplex est: perduellio, & maiestatis crimen.*
6 *Perduellionis crimen sæpè generis nomine significatur, & simpliciter maiestatis crimen dicitur.*
7 *Perduellionis crimen in duplici est differentia.*
8 *Quasi perduellionis crimen quibus in personis committatur.*
9 *Definitio criminis perduellionis.*
10 *Vnde dicatur perduellionis crimen.*
11 *Quibus modis adversus Imperatorem committatur perduellionis crimen.*
12 *De secundo modo committendi hoc crimen in Romanum Imperatorem.*
13 *Adversus Rempub. Romanam quis perduellionis crimen committat.*
14 *Quasi perduellionis crimen quod sit.*
15 *Cur vocetur quasi perduellionis crimen.*
16 *Damnatio memoriæ est propria perduellionis pœna.*
17 *Quæstio, an perduellionis sit crimen, si quis alicui Cardinali hostiliter insidias ponat.*
18 *Quæstio, necesse an sit, vt in aula Cæsarea semper commoretur, vel Pontificis Romani adhæreat lateri, Imperatoris Consiliarius, aut Cardinalis, vt in eius persona crimen quasi perduellionis committi dicatur.*
19 *Negantis sententiæ argumentum primum.*
20 *Argumentum secundum.*
21 *Argumentum tertium.*
22 *Argumentum quartum.*
23 *Corporis nomine quid significetur in l. Quisquis 5. C. ad leg. Iul. maiestat.*
24 *Argumentum quintum.*
25 Dictio cuiuslibet *est nomen vniversitatis, & extendit dispositionem ad omnes, & singulos.*
26 *Argumentum sextum. Clericus licet absens sit, in servitio tamen Pontificis, nihilominus in Ecclesia residere dicitur.*
27 *Argumentum septimum.*
28 *Quæstio ardua, an quasi perduellionis crimen committat, qui odio privato aliquem ex Consiliariis Imperatoris trucidare laborat?*
29 *Affirmantis sententiæ ratio prima.*
30 *Eiusdem sententiæ argumentum secundum.*
31 *Tertium argumentum aientis sententiæ, à lege non distinguente.*
32 *Quartum argumentum eiusdem sententiæ.*
33 *Argumentum sententiæ eiusdem quintum.*

34 *Quintum*

24 *Quintum argumentum conclusionis eiusdem.*
25 *Sextum argumentum eiusdem decisionis ab autoritate.*
26 *Quaestio perplexa expeditur; incurratne in poenam criminis laesae maiestatis, qui non ignorat committi illud, nec tamen hoc facinus revelat.*
27 *Affirmantis sententiae autores & patroni, qui sint.*
28 *Negantis opinionis defensores.*
29 *Bartoli animam in inferno cruciari propter decisionē aientem.*
30 *Affirmans Bartoli opinio probatur.*
31 *Argumentum primum assertionis affirmatae.*
32 *Argumentum secundum.*
33 *Argumentum tertium.*
34 *Argumentum quartum.*
35 *Argumentum quintum.*
36 *Argumentum sextum.*
37 *Argumentum septimum.*
38 *Negantis sententiae rationes: ad quas respondetur.*
39 *Ius singulare ad consequentiam trahendum non est.*
40 *Separatorum saparata est ratio.*
41 *Intellectus c. Felicis, Tit. de poenis, remissive.*
42 *Qui potest hominem in vita periculo constitutum à morte liberare, nec liberat eum, occidere ipsum censetur.*
43 *De intellectu l. Quisquis, §. pen. C. ad leg. Iul. maiest.*
44 *Revelare crimen tenetur nemo, si id probare nequeat.*
45 *Denunciator licet non possit probare crimen, tenetur tamen illud indicare.*
46 *Ius VVirttembergicum desiderat, ut denunciator vel probet crimen, vel eius indicia per circumstantias proferat.*
47 *Definitio criminis laesae maiestatis specialis.*
48 *Adversus quem committatur speciale maiestatis crimen.*
49 *Solius Imperatoris est exercitum comparare, & bellum gerere.*
50 *Imperatoris est habere delectum militum.*
51 *Lustrare exercitum est probare militem, qui actus probatoria dicitur.*
52 *Negocium lustrandi militem Imperator alij mandare potest.*
53 *Statuas Imperatoris, vel imaginem consecratam qui conflat, crimen maiestatis committit.*
54 *Iniuriosum est statuam alterius detrahere.*
55 *Reprobata Imperatoris statuae quae sint.*
56 *Statuas Imperatoris nondum consecratas qui conflat, non incurrit in maiestatis crimen.*
57 *Quid non fieri, & non recte fieri paria sunt.*
58 *Qui vendit Imperatoris statuas, aut imagines consecratas, in crimen maiestatis incidit.*

59 Qui

59 *Qui Imperatoris statuam aut imaginem consecratam lapidibus, aut alio modo offendit, maiestatis crimen contrahit.*
60 *Nisi id fortuito fiat: vbi responsio ad obiectionem.*
61 *Imperatoris nomen qui sibi vindicat dolo malo, maiestatis crimen committit.*
62 *Monetam qui cudit absque licentia Imperatoris, crimen maiestatis contrahit.*
63 *Ius cudendi monetam est de regalibus.*
64 *Moneta cudendæ ius impetrare non potest privatus.*
65 *Adulterans probam Imperatoris monetam contrahit maiestatis crimen.*
66 *Vnum idemq. facinus criminosum diversa consideratione ad diversa criminum genera, & titulos referri potest.*
67 *Moneta adulteratur tribus modis.*
68 *Facta nonnulla sunt, quæ speciem habent criminis maiestatis, sed non sunt eiusmodi.*
69 *Sententia contra sacras constitutiones lata est ipso iure nulla.*
70 *In fraudem legis si dicat iudex sententiam dolo malo, veram litis æstimationem parti læsæ præstare cogitur.*
71 *Qui per venerationem Imperatoris iurat, iuramentum autem non servat, non polluit se maiestatis crimine.*
72 *Periurii pœna quando fit ictus fustium.*
73 *In l. 2. C. de reb. credit. quidam pro* per genium Principis *legendum putant,* per venerationem Principis.
74 *Crimen maiestatis speciale quomodo committatur adversus populum Romanum.*
75 *Labi videntur Hotomannus, Decianus, & Arnoldus ab Haersolte in definiendo crimine maiestatis speciali.*
76 *Speciale maiestatis crimen, adversus populum Romanum quod committitur, in duplici est differentia.*
77 *Oratio illa,* ope consilio, *item,* opera consilio, *quid valeat in iure nostro.*
78 *Conditores iuris sub duobus simplicibus in distributione expressis comprehendunt etiam mixtum.*
79 *Donellus negat esse mixtas actiones: sed iniuria.*
80 *Verbum,* videri, *interdum significat non fictionem, sed veritatem, & proprietatem.*
81 *Crimen maiestatis committitur interdum non faciendo, sive omittendo.*
82 *Per* factum *significatur quandoque in iure nostro* infectum.
83 *Quis suo proprio facto, & per se Rempubl. Romanam pro parte offendat, vel faciendo, vel omittendo.*

84 Error Hieronymi Gigantis detegitur, qui vrbem accipit pro civitate superiorem non recognoscente, in l. 1. §. 1. ff. de leg. Iul. maiest.
85 l. 4. in fin. princ. ff. dict. t. de omni Reo, non tantum de Reo maiestatis exaudienda.
86 Quaestio, an contra Imperatorem, vel populum Romanum maiestatis crimen committat? qui privatus pro potestate, magistratuve quid sciens dolo malo gerit.
87 Adversus Imperatorem maiestatis crimen committit, qui iure magistratus sibi vindicat, quasi datum sibi ab Imperatore.
88 Adversus populum Romanum committit maiestatis crimen, qui confugientem ad Ecclesiam ab ea abducit.
89 Quidam impunè ab Ecclesia extrahi possunt.
90 Collegium constituere illicitum est crimen maiestatis.
91 Principem Imperij, non Electorem, qui occidit, aut vitae eius insidias struxit, an speciale maiestatis crimen committat?
92 Domini appellatione in l. 3. vers. Reus etiam C. de Episcop. aud. significatur non solum Imperator, sed & Princeps alius inferior.
93 Principes, Comites, Barones sunt Senatores populi Romani.
94 In filios illius, qui crimen maiestatis cōmittit in Principe non Electore, non convertitur pœna l. Quisquis 5. C. ad. leg. Iul. maiestat.
95 Memorantur Doctores, qui negant maiestatis crimen committi in Principe Imperatorem recognoscente.
96 Argumenta negatae huius opinionis proponuntur.
97 Odiosa, & pœnalia non sunt extendenda.
98 Inclusio vnius est exclusio alterius.
99 Refutantur argumenta opinionis negatae.
100 Qui de nece magistratus civitatis Imperialis nefariè cogitat, crimen maiestatis committit.
101 An maiestatis contrahat crimen, qui patriam suam oppugnat, vel prodit?
102 Gigas distinguendo decidit propositam quaestionem.
103 Distinctio Gigantis reijcitur.
104 Responsio ad obiectionem, ex l. vlt vers. fin autem. C. de abolit.
105 Quae notabilia sunt, specialiter notari debent, ne quasi neglecta videantur.
106 In iure nostro etiam ea, quae sub genere expresso continentur, specialiter quoq; & nominatim post genus exprimuntur saepe.
107 Dictio, Aut, in l. vlt in fin. C. de abolit. coniunctionis vim habet, non disiunctionem denotat.
108 Recensentur modi, quibus maiestas Reipubl. Romanae omittendo laeditur.

109 *Exponuntur modi, quibus aliquis Rempubl. Romanam per alium offendit.*

110 *Quæstio, an solo conatu maiestatis crimen committatur, etiamsi effectus non sit secutus?*

1 CRIMEN maiestatis duplex est: Aut enim maledicto committitur; aut facto quodam contrahitur. De maiestatis crimine, quod maledicto cõmittitur est text. in l.vn. C.si quis Imperator. maledixerit. vbi Cuiac. & in Tit. 29. lib. 5. sent. Pauli, & ibi Cuiac.

2 De eo maiestatis crimine, quod facto cõmittitur, est textus in d. l. famosi 7. §. vlt. ff. de leg. Iul. maiest. & apud Paulum dict. lib. 5. sentent. Tit. 29. in fine principii. Ubi, quod crimen, ait Jurisconsultus Paulus, non solum facto, sed & verbis impiis maximè exacerbatur. Et in d. l. famosi 7. §. vltim. ff. hoc tit. Modestinus Jurisconsultus, crimen, ait, maiestatis facto, veluti violatis statuis, vel imaginibus maximè exacerbatur. Quo loco nisi pro primo, VEL, legamus, VELVTI, imperitè sanè FACTO opponuntur violatæ statuæ, & imagines, quippe cum & factum violatas statuas comprehendat. Cuiac. ad Jul. Paul. dict. lib. 5. Tit. 29.

3 Maledicto cõmittitur maiestatis crimen, cum quis impiis, injuriosis, & puniendis verbis adversus Imperatorem, vel populum Romanum vtitur. d.l. vn. C. si quis Imp. maledixerit. Paul. dict. lib. 5. sentent. Tit. 29. in fine principii.

Arbi-

Arbitrantur quidem Interpretes nostri, 4
quos referunt, & sequuntur Hieron. Gigas dict. Tract. de crimine læsæ maiestat. libr. 1. Rubr. Qualiter & quibus crimen læsæ maiestatis committ. quæst. 40. & Tiber. Decian. dict. lib. 7. cap. 50. ex maledicto non contrahi amplius crimen maiestatis, quam sententiam quoque tenet Cuiac. ad Paul. dict. Tit. 29. Sed contrarium arguit textus in d. l. vn. C. Si quis Imp. maledixerit. Ubi Impp. Theod. Arcad. & Honor. diserte traduunt. Si quis Imp. maledixerit, referendum id esse ad scientiam ipsius Imperatoris, vt is ex persona & verbis delinquētis cognoscat, vtrum pœna plecti debeat, nec ne.

Facto quod contrahitur maiestatis crimen 5
similiter duplex est: Unum perduellionis crimen appellatur; alterum generis nomen retinet, & maiestatis crimen dicitur, l. vltim. ff. h. t. l. donationes in concubinam 31. §. vlt. ff. de donat. l. liberorum 11. §. non solent, ff. de his, qui notantur infam. l. cum filius 76. §. vltim. ff. de leg. 2. §. Interdum autem, vers. per contrarium, Instit. de hered. quæ ab intest. defer. Cuiac. ad Iul. Paul. lib. 5. sent. Tit. 29. Hotoman. ad §. publica autem judicia, Instit. de public. jud. Sic adoptionis nomen generale est, & in duas discedit species: vna dicitur arrogatio, altera generis nomen retinet, & appellatur adoptio, l. 1. §. 1. ff. de adopt.

Cognationis item nomen similiter generale est, & in duas dividitur species, quarum vna diciturag natio, altera generis nomen retinet, & appellatur cognatio, l. Iurisconsultus, 10. §. 1. & §. inter agnatos, ff. de gradib. & §. 1. & vlt. Instit. de leg. agnat. tutel.

6 Etsi verò aliud sit perduellionis crimen, aliud verò crimen maiestatis, ita in specie dictum, attamen haud rarò perduellionis crimen generis nomine designatur, & simpliciter maiestatis crimen dicitur, vt in l. 3. & l. 4. C. hoc tit. & l. de minore 10. §. 1. ff. de quæst. & Reus perduellionis dicitur Reus maiestatis l. maiestatis 6. C. hoc titul. l. Decuriones 16. C. de quæstionibus. Sed magni refert cognoscere, quod perduellionis, quod item maiestatis crimen sit, cum pœna vtriusque non vbique sit eadem, vt infra capite. 3. dicetur.

7 PERDUELLIONYS crimen, vel est propriè eiusmodi, vel est quasi perduellionis crimen, vti apparet ex d. l. vltim. ff. h. t. & d. l. Quisquis. 5. C. eod. tit. quemadmodum contractus alius est propriè contractus, alius quasi contractus, & delictum, aliud propriè delictum, aliud quasi delictū, §. sequens divisio, Instit. de oblig. junct. tit. Instit. de obligat. quæ quasi ex contractu nascuntur, & tot. titul. de obligationib. quæ quasi ex delicto nascunt. Peculium item

castrense,

castrense, aliud propriè est peculium castrense, aliud quasi castrense peculium, l. vltim. in princip. ibi, quod castrense peculium appellatur, C. de inoffic. test. & l. 3. §. Dari autem, ibi, de peculio castrensi, vel quasi castrensi, ff. de bon. poss. Et sicuti ad exemplum substitutionis pupillaris recepta est quasi pupillaris substitutio, in personis scilicet mente captis, §. Qua ratione, Instit. de pupillar. substitut. Duar. lib. 2. disput. cap. 7. Ita quoque ad exemplum criminis perduellionis, quod in persona Imperatoris committitur, de quo in d. l. vlt. ff. h. t. & in d. l. de minore, 10. §. ibi, quo ad personas principum, ff. de quæstionibus, quasi perduellionis crimen non ineptè dicitur, quod † contrahitur in Cæsaris Consiliariis, Senatoribus, & militibus, quippe cũ hi pars corporis ipsius Imp. dicantur. in dict. l. Quisquis, C. h. t. nec tamen vbiq; eadem vtriusq; sit pœna, maior tamen sit pœna etiam quasi perduellionis, quam criminis maiestatis, ita specialiter dicti, sicuti ostendam infrà cap. 3. vt proinde hæc genera distingui planè necesse sit. 8

PERDVELLIONIS crimen ita propriè dictum est, cum quis hostili animo adversus ipsummet directò Imperatorem, vel Remp. Romanã, quid molitur, d. l. vlt. ff. h. t. & §. publica autem judicia, vbi Hotomanus Inst. de publ. jud. Verbis, HOSTILI ANIMO, 9

distinguitur perduellionis crimen à crimine maiestatis ita specialiter dicto, sed verbis *adversus ipsummet directò Imperatorem, &c.* separatur hoc crimen perduellionis à quasi perduellionis crimine, quod quidem similiter adversus Imperatorem contrahitur, at non directò, sed in persona Consiliarii, Senatoris, aut militis Cæsaris, d. l. Quisquis, 5. in princ. ibi, de nece etiam virorum illustrium, C. hoc tit.

10 Dicitur autem hoc crimen ex eo perduellionis crimen, quòd hostili animo committitur, d. l. vltim. ibi, hostili animo. ff. h. t. & hostis olim perduellis appellabatur, l. Quos nos hostes, 234. in prin. ff. de verb. sign.

Sed videamus quomodo tum adversus Imperatorem, tum adversus rempublicam Romanam perduellionis crimen contrahatur.

11 Adversus Imperatorem committitur perduellionis crimen duobus modis. Primus est, cum quis vel personam Imperatoris offendere, vel ipsum de provincia sua, aut eius parte quadam deturbare hostiliter laborat, d. l. de minore. 10. §. 1. ibi, de maiestatis crimine, quod ad personas principum attinet, ff. de quæstionib. & d. l. Quisquis, 5. in princ. C. ad leg. Jul. maiest. Et quia hostili animo hoc crimen committi dicitur, non solum in persona Imperatoris, sed & provincia, atque

ita

ita rebus ipsius contrahi putandum est; quippe cum hostis vtrumque petat, & personam, & bona eius: & hostire verbum significet comprimere, retundere, offendere, cædere, vt scribit Nonius Marcellus lib. de compendiosa doctrina, cap. 2.

Quicunque ergò cum militibus, vel etiam privatis, vel Barbaris scelestam adversus Imperatorem inierit factionem, aut factionis ipsius sacramentum susceperit, vel dederit, in hoc perduellionis crimen incurrit, dict. l. Quisquis 5. in pr. C. ad leg. Iul. maiest.

Qui item ab obedientia Principis, id est, Imperatoris se subtrahit, ac illi se hostem parat, hoc crimen committit, Oldrad. consil. 11
43. num. 8. in fin. Hieron. Gigas dict. libr. 1. Rubr. Qualiter & à quibus, quæstion. 36. Tiber. Decian. Tract. criminal. lib. 7. cap. 6. n. 26. & cap. 33. num. 1.

Secundus modus, quo perduellionis cri- 12
men in Romanum Imperatorem committitur, hic est, cum quis alicui ex Electoribus Imperii, Ecclesiastico, vel seculari vitæ periculum comparare studet, textus est in aurea Bulla Caroli IV. Titul. Von der Bischoffe Segen / in gegenwertigkeit eines Keysers. Ex quo loco manifestè evincitur, quod propriè perduellionis crimē hoc etiam modo committatur: tum quia Imperator disertè ibi scribit, quod Principes Electores sint pars

 corporis

corporis Imperatoris, Ein theil ihres leibs: tum quia omnis poena, quæ ex perduellionis crimine ita propriè dicto convertitur in Reum, statuitur quoque ibidem in eum, qui de nece Principis Electoris cogitat: vt proinde hic modus cum priori sub eodem genere comprehendi meritò debeat, &c.

Quia verò Carolina illa constitutio pœnalis est, & nominatim agit de his tantum, qui mortē adferre student Principi Electori, certè porrigi nō debet ad eos, qui alio modo offendere Electorem laborant; quippe cum legum interpretatione pœnæ moliendæ sint potius, quam exasperandæ, l. pen. ff. de pœnis.

13 Ceterum adversus Rempublicam Romanam committit perduellionis crimen, qui ipsam directò, & principaliter Romanæ Reipubl. summam, id est, statum formamq; Imperii Romani labefactare, aut evertere conatur, d. l. vlt. ff. de leg. Iul. maiest. vbi molitio adversus Rempubl. Romanam, vel Imperatorem hostili animo facta, perduellionis crimen dicitur, & opponitur cuivis alii causæ criminis maiestatis.

Cum autem perduellionis crimen non committat, qui tantum pro parte quadam, etiam vt hostis, offendit Rempublicam Romanam, sed speciale maiestatis crimen incurrat, vt si imperii hostem sciens susceperit, & occultarit, l. Metrodorum 40. ff. de pœnis, certè

certè is tantum, quem dixi, perduellionis crimen adversus Rempubl. Romanam committit. Idq; sentit etiam Hotomanus in Cõmentariis verbor. juris, in verb. perduelles Tiber. Decianus dict. Tract. criminali, lib. 7. cap. 6. n. 4. 20. & 23. & Arnold. ab Haersolte in adversariis de actionib. act. 29. ad 7. partem Pandect. nu. 3. Id tamen non de Turcico, aut quo alio extero populo intelligi debet, sed de civib. Romanis, secundum ea, quæ tradidi supra c. 1. & nominatim scribit Oldrad. dict. cons. 43. n. 8. in fine. Qui itaq; civis Romanus imperio Romano bellum movet, aut militem hostis populi Romani quavis occasione in Romanum imperium ad vastandum, & diripiendum illud ducit, perduellionis crimen incurrit.

Quasi perduellionis crimen est, cum quis 14
in nece Consiliarii, Senatoris, militisve Cæsarii quid molitur, l. Quisquis 5. in pr. ibi, de necē etiam virorum illustrium, &c. C. ad leg. Iul. maiest. & dict. Tit. Qui sint rebelles, vers. terrore, ibi, officiales nostros, collat. 11. in Extravagant. Notandum autem est, quod dixi, *in necem Consiliarii, &c.* Si enim quis alio modo offendat Consiliarium, Senatorem, militemve Imperatoris, hoc crimen non committit. Loquitur enim textus dict. l Quisquis C. h. t. de eo tantum, qui de nece Consiliarii, Senatoris, militisve Imperatoris cogitat; vnde

pœnalis sit ea constitutio, ad offensam aliam extendi non debet, per dict. l. penultim. ff. de pœnis.
15 Ideo autem hoc crimen voco quasi perduellionis crimen; primò quia Consiliarii, Senatores, & milites Cæsarei dicuntur pars corporis Imperatoris, in d. l. Quisquis, 5. in princ. C. ad leg. Jul. maiest. Sed qui necem Imperatori adferre conatur, perduellionis crimen committit, vt supra dixi. Deinde quia vt bona rei perduellionis non conseruantur liberis, eiusque filii non modò a materna, avita, aliorumque propinquorum, sed etiam testamentaria extraneorum hereditate arcentur, atque infames sunt, & intestabiles, sic etiam omnis substantia Rei huius criminis adimitur eius etiam liberis, & filii ipsius exortes sunt hereditatis maternæ, avitæ, aliorumq; propinquorum, & extraneorum, suntque infames & intestabiles, d. l. Quis-
16 quis 5. §. 1. & 2. C. eod. Quia † tamen damnatio memoriæ propria pœna est criminis perduellionis, d. l. vlt. ff. de leg. Iul. maiest. Hæc autem pœna definita non sit in dict. l. Quisquis 5. C. h. t. etiam in eos, qui de nece Consiliarii, Senatoris, militisve Cæsaris cogitant: Proinde crimen hoc perduellionis crimen propriè dici haud possit; non ineptè quasi perduellionis crimen appellatur; maximè cum medium sit crimen inter perduellionis

lionis crimen ita propriè dictum, & crimen maiestatis; propius tamen ad illud, quàm ad hoc, accedat; siquidem bona Rei maiestatis liberis ipsius relinquantur, l. Eorum 9. ff. de leg. Iul. maiest. proindeque etiam ipsius filij ad maternam, avitam, cæterorumque propinquorum, tum etiam extraneorum testamentariam successionem admittantur; nec infames, aut intestabiles fiant.

Cæterum non ineptè hoc loco quæri potest, sitne perduellionis, an quasi perduellionis crimen, si quis alicui Cardinali Ecclesiæ Romanæ hostiliter insidias comparet? Et licet hoc facinus illi potius, quam huic generi aggregandum videatur; quippe cum in Principibus, Electoribus perduellionis crimen, vt supra ostendi, committatur; & Cardinales in Ecclesia Romana sub Pontifice idem sint, quod Principes Electores in imperio Romano sub Imperatore; Attamen in persona Cardinalis cuiusdam non perduellionis, sed quasi perduellionis crimen contrahi existimo, per textum in c. Felicis, Tit. de pœnis in 6. quo loco omnis quidem pœna statuitur in eum, qui necem Cardinali adferre studet, quæ civili sanctione in eum definitur, qui de nece Consiliarii, Senatoris, militisve Imperatoris cogitat. Verum nulla ibidem fit mentio eius pœnæ, quæ propria est criminis perduellionis, vt est maximè damnatio 17

memoriæ Rei defuncti.l.cum filius 76.§. vlt. ff. de leg. 2. & l. vlt. ff. de leg. Iul. maiest.

Atq; hæc monitio contemnenda non est, siquidem Interpretes nostri, vt Boër. Tract. de seditios. cap.6.nu.7. Hier. Gigas dict. Tract. de crimine læsæ maiestatis, lib. 1. Rubr. Qualiter & à quibus, quæst. 1. num. 4. & Tiber. Decian. dict. Tract. crimin. lib. 7. cap. 5. n. 8. similiter tradant, crimen læsæ maiestatis esse, si quis Cardinalem hostiliter insectetur, aut ei violentas manus iniiciat, nec quæ species eius criminis sit, ostendant, cum tamen magni referat scire, cui speciei subiici hoc debeat crimen, cum alia sit pœna perduellionis, alia quasi perduellionis, alia criminis maiestatis ita in specie dicti, licet hæ species quasdam habeat communes pœnas, vt infra exponam cap. 3.

18 Sed elegans, & satis controversa quæstio se nobis hic offert, vt maiestatis crimen in Consiliario, Senatore, militeve Cæsaris, aut in persona Cardinalis Romanæ Ecclesiæ cõmittatur, sitne prorsus necesse, vt illi apud Cæsaream maiestatem in eius aula commorentur, vel hic Romani Pontificis lateri adhæreat? Glossa quidem ad d. l. Quisquis 5. in princ. in verb. nobis militat, & ibi Cynus, & Salycet. C. ad leg. Jul. maiest. tum etiam Laudens. Tract. de crimine læsæ maiestat. quæst. 3. Item Roland. à Valle consil. 1. num. 23. & 24.

vol.

vol.3. & Jul. Clar. lib. 5. sentent. §. læsæ maiestatis crimen, num. 5. in fine, disertè tradunt, quod in illis tantum Imperatoris Officialibus maiestatis crimen contrahatur, qui resident apud Principis personam, & in eius supremo Consistorio sedent. Atque hanc sententiam confirmare videtur textus in dict. l. Quisquis. 5. in princip. C. ad leg. Jul. maiestat. Primò enim in Constitutione illa, Impp. Arcad. & Honor. nominatim loquuntur de Consiliariis, qui Imperatoris Consistorio intersunt. Et certè duo coniunctim exigere ibi videntur Impp. ad hoc, vt quis in crimen illud incurrat; vnum est, vt de Consiliarii cogitatum sit nece; alterum est, vt Consiliarius ille Consistorio Imperatoris intersit. Hæc enim sunt verba Impp. *qui Consiliis, & Consistorio nostro intersunt.* Deinde expressè dispositionem illam suam dirigunt Imperatores ad illos Senatores, qui sunt pars corporis Imperatoris, quales esse videntur illi tantum, qui coràm consiliis suis Cæsaream maiestatem juvant, & semper in Aula Cæsaris vivunt.

Verùm nihil rationib. hisce motus, in contrariam sententiam ire non dubito. Nam primò crimen maiestatis cõmittere dicitur non ille tantum, qui vniversum populum Romanum lædit, sed & qui magistratum aliquem populi Romani, aut eum, qui imperiũ, 19

potesta-

poteſtatemve habet, occidere ſtudet, l. 1. §. 1. verſ. Cuiuſve opera, ff. de leg. Iul. maieſtat. vbi non diſtinguitur magiſtratus ille Roſes mæ ſit, vel alibi in provinciis, vt eſt Præ provinciæ, aut Proconſul, qui ipſi quoque magiſtratus ſunt Populi Romani, vt ſcribit Hotomanus in Commentariis verborum iuris, in verb. Magiſtratus, & eum ſecutus Menoch. conſil. 99. nu. 80. Et certum eſt, quod Præſes itemque Proconſul in provinciis imperium, & poteſtatem habeant, l. 3. l. 4. l. Ex omnibus 10. cum ſeqq. ff. de offic. præſid. l. Si aliam, 7. §. vltim. ff. de offic. Proconſ. Sed quia hoc argumentum facilè infringi poſſe videtur, vt quo probatur tantum, quod maieſtatis crimen & ille committat, qui Conſiliarium Imperatoris etiam alibi, quam in Aula Cæſarea degentem necare intendit: hic autem quæſtio ſit de quaſi perduellionis crimine, cuius durior pœna eſt, quam criminis maieſtatis ita ſpecialiter dicti; Idcircò firmiora nobis argumentorum præſidia quærenda ſunt.

20 Secundò autem pro obtinenda contraria ſententia ita arguo: Quod lex ſimpliciter in aliqua cauſa non requirit, id neceſſario deſiderari dicendum non eſt, l. 5. in princ. ff. de probat. l. illam 19. verſ. ſuperſtitibus quidem, ibi, Eo quod nulla conſtitutio C. de collationib. Novell. 18. cap. 5. in princip. Sed ad hoc, vt in

vt in Consiliario Imperatoris quasi perduellionis crimen admittatur, nihil aliud Constitutio Impp. Arcad. & Honorii requirit, quam vt Consiliarius ille Consistorio Imperatoris intersit, & de eius nece aliquis hostiliter cogitet, d. l. Quisquis. 5. in princ. C. ad leg. Iul. maiest. Quocirca etiamsi non semper Principis lateri Consiliarius eius adhæreat, & in eius Aula versetur continuo, sed alibi suarum rerum sedem habeat, modo cum opus fuerit consistorio Imperatoris intersit, & in eo Imperatorem Consiliis suis juvet, quasi perduellionis crimen, qui de eius nece cogitat committit.

Hanc conclusionem porrò & hoc argumento corroborari puto: Consiliariis Cæsaris Consistorianis hac in causa comparantur Senatores Romani. Ut enim qui de illorum, sic & qui de horum nece nefarie cogitat, quasi perduellionis crimen incurrit, d. l. Quisquis 5. in princ. C. ad leg. Jul. maiestat. Sed Romani Senatores non versabantur in aula Imperatoris, non semper eius lateri adhærebant, sed consiliis publicis operam dabant Romæ, l. penult. & vlt. ff. de Senatorib. Non ergo necesse est, vt Consiliarii Imperatoris Consistoriani semper in Cæsaria vivant aula, ad hoc scilicet, vt in eorum persona quasi perduellionis crimen committatur. 21

Præterea pronunciatum illud, & hac non parum 22

parum firmatur ratione, quod Consiliarii Imperatoris, & Senatores Romani in hac causa ideo adæquantur, quod vt illi, sic & hi pars corporis esse dicuntur Imperatoris, in dict. l. Quisquis. 5. in princip. C. ad leg. Iul. maiestat.

13 Corpus autem Imperatoris dicto loco non significat naturale, physicum, & humanum corpus, sed collegium Consiliariorum Imperatoris, sicuti pro collegio accipitur etiam corpus in l. 1. ff. quod cuiusque vniversitatis nomine. Et Senatores Romani ideo dicuntur pars corporis Imperatoris, hoc est, pars Collegii Consiliariorum Cæsaris, tum quia & hos Imperator consiliariis suis publici consilii causa adhibeat, l. humanum, 8. C. de legib. tum quia Imperator se quoq; in ordine Senatorum Romanorum numerabat, l. jus senatorum, 8. C. de dignitatib. libr. 12. Unde etiam curiam senatorum Romanorum Constantius & Constans Impp. suam appellant curiam, in l. nemo, 5. C. d. t.

Quia ergo adhoc, vt quasi perduellionis crimen in persona Senatoris Romani committatur, necesse non est, vt hic in Aula Cæsaris semper versetur, & Imperatoris lateri, continuò adhæreat, ita nec opus est ad hanc causam, vt Consiliarius Cæsaris in huius semper Aula commoretur, sed illud saltem requiritur, vt Consistorio Imperato-

ris,

ris, consilii causa re ita exigente vocatus interfuit.

Adhæc sustinetur eadem hæc conclusio & hoc fundamento, quod & ille quasi perduellionis crimen admittit, qui mortem afferre studet ei, qui Imperatori militat, sive in Aula Cæsarea, sive alibi maiestati Imperatoriæ militet, d.l. Quisquis 5. in princ. ibi, vel cuiuslibet postremò qui nobis militat C. ad leg. Jul. maiestat. vbi † dictio, cuiuslibet, notari debet, vt quæ vniversitatis est, & dispositionem ad omnes & singulos extendit, l. Non distinguemus 32. §. cum in plures. ff. de arbitr. & l. si pluribus, 44. vbi Bart. ff. de leg. 2. Tyber. Decian. Responso. 4. nu. 6. & Responso 73. num. 16. vol. 2. 24 25

Confert item huc, quod etiam Clericus licet absens sit, in servitio tamen Pontificis, nihilominus in Ecclesia residere dicitur, c. de cætero, & c. ad audientiam, in fin. extr. de cleric. non residentib. in Ecclesia. 26

Denique hanc nostram decisionem juvat & illud, quod perduellionis crimen, ita propriè dictũ, contrahit etiam ille, qui vitæ periculum alicui ex Principib. Electorib. comparare studet, licet hi Principes non vivãt semper cum Imperatore in eius Aula, vt supra ostendi ex Aurea Bulla Caroli IV. Non ergo absurdè dicimus, quasi perduellionis crimen incurrere eum etiam, qui hostiliter 27

insidias

insidias ponit alicui ex Consiliariis Cæsaris Consistorianis, etiamsi alibi quam in Cæsaris Aula degat. Atque hanc sententiam amplectitur quoque Menoch. consil. 99. n. 79. & seqq. lib. 1.

Quæ autem hactenus de consiliariis Imperatoris dicta sunt, eadem quoque ad Cardinales Pontificis porrigi possunt. Ex quibus etiam satis superq; cognoscitur nullum vulgari opinioni auxilium præstare fundamenta, quæ prius adducta fuerunt.

28 Est & illa sat pulchra, at dubia admodum quæstio, incurratne in hoc etiam crimen, qui odio privato aliquem ex consiliariis, aut militibus Imperatoris trucidari laborat, etiamsi nulla in ipsum Imperatorem invidiâ æstuet? Plerique Interpretes nostri communiter tradiderunt, hunc nequaquam inter Reos maiestatis numerandum esse. Hos referunt & sequuntur Aymon Gravetta. consil. 6. n. 79. Tomo 1. Roland. à Valle consil. 1. num. 32. vol. 3. Menoch. consil. 99. num. 9. & Wesenbec. consil. 57. num. 6.

29 Verum sententia affirmans veritati mihi propior videtur. Primò enim textus in d. l. Quisquis 5. in princ. C. ad leg. Jul. maiestat. simpliciter loquitur de eo, qui nefariè de consiliariorum, & militum Imperatoris nece cogitat. Inde ergò coniectura capi potest, quasi nec sententia Imperatorum Arcad. & Honorii

Honorii sit, vt insidiæ illę fiant odio in ipsam Cæsaream maiestatem suscepto, per text. in l. de pretio 8. ff. de publ. in rem act. vbi Gajus Jurisconsultus de pretio, ait, soluto nihil exprimitur. Unde potest conjectura capi, quasi nec sententia Prætoris ea sit, vt requiratur, an solutum sit pretium.

Confert etiam hûc textus in l. 1. §. Quod autem Prætor, ff. de Aleator. vbi Ulpian. Jurisconsultus, quod autem, ait, Prætor negat, se furti actionem daturum, videamus, vtrum ad pœnalem actionem solam pertineat; an etsi ad exhibendum velit agere, vel vindicare, vel condicere. Et est relatum apud Pomponium, solummodò pœnalem actionem denegatam; quod non puto verum, Prætor enim simpliciter ait, *si quid subtractum erit, judicium non dabo.* 30

Deinde eòdem etiam pertinet vulgatum illud juris axioma, lege non distinguente, nec nos distinguere debemus, l. 3. in fin. ff. de offic. Præsidis. Quocirca cum Impp. in dict. l. Quisquis 5. in prin. C. ad leg. Jul. maiest. generalibus his vtantur verbis; *Quisquis cogitaverit* de nece &c. existimandum est, ipsos hîc nullam admittere distinctionem inter eum, qui odio Imperatoris, vel privato Consiliarii, vel militis odio huic insidias posuerit. Dictio enim *quisquis* generalis est, & omnes significat, l. Hoc articulo, 29. in prin. ff. 31

D de he-

de heredibus instituend. junct. l. Ex duobus 34. §. 1. ibi, quisquis sibi, ff. de vulgar. & pupill. substit. & c. 1. vers. quisquis igitur. Tit. de sententia excommunicationis, in 6.

32 Porrò huc accedit ratio, qua Impp. Arcad. & Honor. vtuntur in d. l. quisquis 5. in princ. C. ad legem Jul. maiest. quæ his exprimitur verbis: Nam & ipsi pars corporis nostri sunt. Ecce hanc rationem considerant Impp. quãdo maiestatis crimen etiam in Cæsaris Consiliariis & Senatoribus contrahi dicunt; quæ ratio est, quòd Imperatoris Consiliarii & Senatores sint de Collegio Consistorianorum Consiliariorum. Hoc itaque sufficit, si eiusmodi sint Consiliarii, nec insuper requiritur, vt ipsi offendantur ex odio in ipsum Imp. suscepto.

33 Adhæc in nostræ sententiæ confirmationem & illud vocari potest, quòd crimen perduellionis etiam ille committere dicitur, qui vitæ periculum alicui ex Principibus Electoribus comparare studet, etiam absque animo vlciscendi & persequendi ipsum Imperatorem; quippe cùm hac in causa Aurea Bulla Caroli IV. id tantum consideret, quod Principes Electores sunt pars corporis Imperatoris.

34 Præterea sententię nostrę suffragatur quoque Jurisconsultus Ulpian. in l. 1. §. 1. vers. Cuiusve opera consilio, ff. de leg. Jul. maiest. vbi

Vbi ſimpliciter ſcribit, quòd maieſtatis crimen contrahat etiam hic, qui eurat, vt aliquis magiſtratus populi Romani occidatur, neque exprimit odio id fiat ipſius magiſtratus, vel totius populi Romani.

Denique hanc, quam defendimus ſententiam, amplectitur quoque Jul. Clarus libr. 5. ſententiar. §. læſæ maieſtatis crimen, num. 5. Cuius verba hæc ſunt: Et licet aliqui diſtinguant, an id fiat in odium Principis, vt ſcilicet privetur illo Conſiliario, an ob privatum odium ipſius Conſiliarii. Ego tamen indiſtinctè teneo, quod committatur crimen læſæ maieſtatis. Nam Conſiliarii ſunt pars corporis ipſius Principis, & ideo illos offendens indiſtinctè cenſendus eſt Principem offendere. Atque hanc in puncto juris veriorem eſſe fatetur ſententiam Tiber. Decian. lib. 7. c. 5. num. 4. 35

Non eſt hoc loco ignorandum, quod & ille quaſi perduellionis crimen committat, & in Imperatoriã maieſtatẽ rebellis eſſe dicatur, qui officialib. Imperatoris reſiſtit, dũ tamen iis rebellet in his, quę ad commiſſum illis officium pertinent, vt cavit Imp. Henricus VII. Tit. quæ ſint rebelles, col. 11. in Extravagantibus. Ex qua conſtitutione notandum, qui ſint rebelles: Illi omnes, ait Imp. ſunt rebelles, & infideles noſtri imperii, qui quomodocunq; publicè vel occultè contra noſtrum honorẽ,

&c fidelitatem rebellionis opera faciunt, & contra nostri imperii prosperitatem aliquid machinantur, contra nos seu officiales nostros, in iis, quæ ad commissum eis officium pertinent, rebellando. Quibus autem modis quisquam rebellionis opera facere, id est, repugnare, & resistere Imperatori, & Imperio Romano dicatur, exponit tum Bart. ad dict. constit. Imp. Henrici VI. tum Hieronymus Gigas in Tract. de crimine læsæ maiestatis lib. 3. Rubric. de rebellib. quæst. 1. & aliquot seqq.

36 Occurrit nobis hic tractanda alia quæstio, diu multumque ab Interpretibus nostris agitata, quæ hæc est; An & ille perduellionis, aut quasi perduellionis crimen committat, & in eius pœnam incurrat, qui quidem non ignorat, aliquem periculum comparare, vel Imperatori, vel imperio Romano, vel Principi Electori, vel Consiliario Cæsaris Consistoriano, vel militi Imperatoris, nec tamen facit, vt dispalescat & reveletur flagitium il-
37 lud? Bart. † id affirmat ad l. vtrum 6. nu. 3. ff. de leg. Pomp. de parricid. & ad l. 1. §. occisorum, num. 3. ff. ad Senatusconsultum Syllan. Bartolum sequuntur Angel. de Perusio, & Roman. jam dicto loco, & idem Angel. ad leg. 2. ff. de leg. Pomp. de parricid. vbi dicit, quòd hæc sententia debeat mente teneri, eò quod casus hic sit quotidianus. Idē etiam sentit

ſentit Ang. Aretin. ad §. publica autem judicia, num. 3. verſ. & ſingulariter tenementis Inſtit. de public. judic. vbi ſubiicit, quòd ita communiter obſervetur. Idem traditum eſt ab eodem Angel. Aretin. in Tract. de malefic. in verb. Et hai tradito la tua patria. nu. 10. & ibidem Auguſtin. Arimineſ. Approbat eandem Bartoli ſententiam Martinus Laudenſ. Tract. de crimine læſæ maieſt. quæſt. 13. Tum etiam Dynus ad c. Non eſt ſine culpa, num. 4. Tit. de reg. jur. in 6. vbi additio ſub litera B. plures alios huius ſententiæ patronos refert. Subſcribit eidem concluſioni Anton. Gomez. in commentar. variar. reſolut. Tomo 3. cap. 2. num. 8. Et Vivius lib. opinionum 2. opin. 246. affirmat hanc eſſe communem ſententiam.

Cæterum negativæ ſuffragantur Ioan. de 38
Anania. ad Rubric. Cod. de his, qui filios occider. col. vltim. Felin. ad c. Quantæ, n. 4. verſ. Tertiò limita, extr. de ſentent. excommunicationis, & ad c. 1. num. 4. verſ. contrarium tenuit, extr. de offic. & poteſt. judic. de leg. Item Hippolytus de Marſil. ad dict. L. vtrum 6. col. 1. ff. de leg. Pomp. de Parricid. & Emanuel. Soarez in Theſauro receptar. ſentent. in lit. M. num. 8. & in additionib. ad Gomez. dict. cap. 2. num. 8. ſub lit. B.
Et † aiunt Patroni huius concluſionis, quod 39
eam primum defenderit Baldus in quodam

D 3 conſilio,

consilio, ubi asserat, Bartoli animam in inferno cruciari ob illam suam affirmantem sententiam, atque omnes Iudices & eorum Assessores, qui illam Bartoli doctrinam sequuntur, esse homicidas.

30 Dispiciendum igitur nobis est, vtra sententia juris auctoritati sit consona. Nihil autem dubito, quin & priori affirmanti cõmuni pronunciato certissimum in jure nostro

31 positum sit fundamentum, & † quidem in l. Quisquis, 5. §. sed quod, & §. seq. C. ad leg. Jul. maiestat. vbi dicitur, quod etiam conscii huius criminis, qui non patefecerunt illud, eadem severitate plecti debeant, qua cæteri, qui scelus hoc admiserunt.

32 Cui pronunciato consonat quodammodo textus in Novel. 117. cap. 8. vers. Si con-

33 tra imperium cogitantib. Confirmat † eandem hanc sententiam text. in l. vnic. §. Pœnas, C. de raptu virginum, vbi Justinianus Imperator capitali pœnæ subiicit etiam eos, qui conscii sunt criminis raptus.

34 Accedit huc porrò, ꝙ & conscii criminis parricidii eadẽ parricidii pęna affici jubentur in d. l. vtrum, 6. ff. de leg. Pompeia de parricid.

35 Adhæc juvat eandem decisionem textus in d. l. 1. §. 18. quod si quis, ff. de Senatusc. Silan. vbi JC. Ulp. totiens, inquit, puniẽdi sunt servi, qui auxilium domino non tulerunt, quoties potuerunt ei adversus vim opem ferre, & non tulerunt.

Pertinet

Pertinet præterea eodē textus in l. culpa caret 50. ff. de R.I. vbi Paulus JC. Culpa, ait, caret, qui scit, sed prohibere non potest à contrario igitur sensu, qui scit, & prohibere potest, culpa vacuus non est, si non prohibeat. 36

Corroboratur enunciatio eadem textu in c. quantæ, extr. de sentent. excommunicat. & c. dilecto filio, §. Et quidem, Tit. eod. in 6. Priori loco Innocent. III. Eos, inquit, delinquentib. favere interpretamur, qui cùm possint, manifesto facinori desinunt obviare. Posteriori loco Innocentius IV. Et quidem, ait, cùm liceat cuilibet suo vicino, vel proximo pro repellēda ipsius injuria suū impertiri auxiliū; Imò si potest, & negligit, videatur injuriantē fovere, ac esse particeps eius culpæ, & c. Ex his omnibus igitur cōcludendū, quòd & conscius criminis huius, si non revelaverit illud, reus fiat eiusdem, & pari pœna teneatur. 37

Sed hanc conclusionem nostrā rescindere videtur text. in d. l. 1. §. sed in eo. 5. ff. de Senatusconsulto Silan. vbi JC. Ulp. Et magis est, ait, ne puniatur ob hoc, quòd sub eodem tecto fuit, nisi particeps sceleris fuit. Verùm nihil ibi agitur de servo criminis conscio, sed illó, qui tantū sub eodem fuit tecto, sub quo dominus occisus fuit. Adhæc SC. Silanianum jubet servos domini occisi, & quidē eos servos, qui sub eodem tecto cū necato domino fuerunt, & sciverunt ipsum dominum in vitæ 38

periculo constitutum, nec tamen ei auxilium præstiterunt, capitali supplicio subiici. At à pœna hac Senatusconsulti illius nominatim eximuntur servi, quibus fidei commissaria libertas debetur, id est, quos occisus purè jussus fuit manumittere; Et hanc exceptionem proponit Ulpian. in d. l. 1. §. 5. ff. d. t. cuius ratio hæc esse videtur, quòd is servus, cui per fideicommissum libertas purè debetur, liberi hominis loco est, l. Non tantum 51. §. Cui per fideicommissum 3. & l. Si quis rogatus 53. in princ. ff. de fideicommissaria libert. vt proinde ad Senatusconsultum illud, quod de veris servis, vt qui occisi dominio subiecti fuerunt, loquitur, meritò non pertineat. Qui ergò dictus ille §. 5. non est de eo, qui ipsius, qui interfectus est, dominio subiectus sit, nihil decerpit nostræ decisioni, quę est de his, qui vt servi dominorum suorum dominio sunt subiecti, ita sui supremi magistratus imperiò subditi sunt, illi tamen in vitæ discrimine constituto, ne quidem revelando periculum illud, opem ferunt.

Deinde confringere decisionem nostram videtur textus in c. Felicis, §. Illud autem non duximus, Tit. de pœnis in 6. vbi arbitraria pœna imponitur illi, qui nudo tantum consilio fuit, & simplici favore affecit eum, qui Cardinalem hostiliter insectatus dicitur. Unde videtur dicendum, quòd non ordinaria, sed

riâ, sed quadam leviori arbitrariâ pœnâ teneatur, qui scit ipsi Imperatori, vel Consiliario eius Consistoriano, vel militi aut Principi Electori vitæ periculum comparari. At respondendum est ad hanc obiectionem, in casu d. c. Felicis §. illud autem Tit. de pœnis in 6. specialiter definitum esse, vt conscius criminis illius, de quo ibi agitur, pœna tantum arbitraria plecteretur. Sed † quod alicubi speciali in casu constitutum jus est, id trahi in destructionem certi cuiusdam alterius juris non debet, l. Quod verò 14. & ll. seqq. ff. de legib. quippe cùm casuum separatorum seperata quoque † juris sit ratio, & à separatis nulla fiat illatio. l. Papinianus 20. ff. de minorib. & l. vltim. ff. de calumniatoribus. Proindeque de consciis criminis perduellionis, & quasi perduellionis definitum quod est in dict. l. Quisquis 5. §. pen. C. ad leg. Iul. maiest. non attenuatur sanctione canonica, quæ est in dict. c. Felicis. §. Illud autem, Tit. de pœnis in 6. maximè cùm aliâs sæpe aliud Civili, aliud Canonico jure cautum reperiatur. Sed † vide quæ de sententia eiusdem cap. Filicis, dixi in Tractatu de Regalibus cap. 2. in exemplo de bonis reorum maiestatis.

39 (beside "arbitraria plecteretur. Sed † quod alicubi")

40 (beside "seperata quoque † juris sit ratio")

41 (beside "tur. Sed † vide quæ de sententia eiusdem cap.")

Adhæc pronunciatum nostrum falsitatis arguere videtur textus in l. Metrodorum 40. ff. de pœn. Ubi Paulus Jurisconsultus ostendit, quòd is, qui militem occultari non ignorans

rans diu dissimilavit, in insulam tantum relegetur. Unde sequitur quòd conscius criminis maiestatis, non ordinariâ, sed leviori pœna plectatur. At nodus hic dissolvendus est, hunc in modum.

Qui occultat militem populi Romani, is ipsemet nihil directò periculi creat populo Romano, proindeq; nec ille, qui scit occultari ab alio militem, idque diu dissimulat. At qui ipsemet de nece cogitat Imperatoris, Principis Electoris, Consiliarii Cęsaris Consistoriani, vel militis Imperatoris, hic directò in vitæ discrimen eos adducit, proinde etiam qui eius criminis conscius est, & non revelat illud, ipsemet meritò censetur directò vitæ ipsorum insidias ponere: quippe cùm is,
42 qui potuit hominem liberare à morte, † & non liberavit, eum occidere dicatur, c. sicut dignum, §. illi etiam, qui non, extr. de homicidio.

43 Postremò sententiam nostram evertere existimatur ipsemet textus in d. l. quisquis. 5. §. pen. C. ad leg. Iul. maiest. quo tamen nos eam firmare putamus, locus enim ille nõ videtur loqui simpliciter de omni conscio criminis huius, sed de consciis satellitibus, & ministris eorum, qui de nece Imperatoris, vel Consiliarii Consistoriani, aut militum Cæsaris cogitat, proindeque de his, qui ipsimet opem delinquentibus ferunt. Verba enim

enim illius §. hæc sunt : Illud quod de prædictis, eorumque filiis cavimus, etiam de *Satellitibus conscii*, *ac ministris*, filiisque eorum simili severitate censemus. Sed respondendum est, adductis illis verbis evidenter conscios distingui, ab ipsis satellitibus, ab ipsis item ministris directò delinquentium, siquidem Impp. Arcadius & Honorius primò meminerint satellitum, deinde consciorum, tertiò ministrorum, cum aliàs, si vox conscis, vt adjectivum referri deberet ad Satellites, & ministros, Imperatores ita locuti fuissent. *Etiam de consciis satellitibus, ac ministris*, vel hoc modo. *Etiam de satellibus, ac ministris consciis*, maximè cum aliàs probati autores latini de satellitibus & ministris conjunctim loquantur. Sic Cicer. in quadam oratione, *eosdem*, ait, *ministros*, *& satellites*, item *minister, ac satelles cupiditatum*, & alibi, *virtutes satellites, & ministræ cupiditatum*. Et certè quia conscius parricidii eadem plectitur pœna, qua ipse parricida, dict. leg. vtrum. 6. ff. de leg. Pompeia de parricid. dubium non est, quin conscius perduellionis, vel quasi perduellionis similiter eadem teneatur pœnâ, quâ ipse Reus perduellionis, vel quasi perduellionis ; siquidem filius patrem, & pater filium, qui ad delendam patriam venit, impunè occidere possit, & insuper ex ea nece præmio affi-

afficiatur. l. minimè 35. ff. de religiosis & sumptib. funer.

44 Cęterùm conclusio nostra de eo criminis huius conscio exaudiri debet, qui si revelet crimen probationibus quoque ostendere illud potest. Cùm enim accusator Rei huius criminis, quæstioni & tormentis subiiciatur, si aliis argumentis manifestis accusationem suam comprobare non possit, l. 3. l. 4. C. ad leg. Iul. maiestat. & l. Decuriones, 16. C. de quæstionib. iccirco nemo tenetur revelare crimen, quod probare non potest, per textum in l. Nostris 8. ibi, singuli vniversique cognoscant, non licere in eo, quod non possit ostendi, judicum animos commoveri, C. de calumniatorib. Est etiam textus in c. Nolentes. §. Notarii, ibi: quòd si taliter ea sciverint, vt ea probare valeant, si sit opus hæc prælatis inquisitorum & commissariorum eorundem, ad quos id pertinebit, nunciare sollicitè debeant, Tit. de hæreticis, in Clement. Atque hanc limitationem amplectuntur communiter Dd. nostri, quos referunt & sequuntur Hippolyt. de Marsil. sing. 164 & Anton. Gomez in Commentariis var. resolut. Tom. 3. c. 2. n. 8. vers. Advertendum tamen Rol. à Valle cons. 88. n. 10. & seqq. vol. 2. & Ant. Gabr. Rom. in communib. concl. lib. 7. de maleficiis concl. 37. n. 5. qua conclus. quasdam alias limitationes proponit.

Alii

Alii tamen distinguunt inter accusationem, & simplicem denunciationem. Ad illam non teneri criminis conscium, nisi probare possit; ad hanc teneri eum, licet non possit maleficium probare scribunt, quos refert & sequitur Fachin. lib. 9. controv. c. 86. 45

Ordinatio tamen Württembergica de generali inquisitione, & denunciatione, die Rugordnung/requirit, vt denunciator possit, vel probare crimen, quod defert, vel ostendere circumstantias, ex quibus indicia criminis peti possint, Fürstl. Württ. Landtsordnung/ Tit. Politisch Censur/ vnnd Rugordnung/ pag. 240. & 243. 46

HACTENVS de perduellionis, & quasi perduellionis crimine; dispiciendum dehinc de crimine maiestatis speciali.

Est autem crimen maiestatis speciale, cum quis civis Romanus alio, quàm perduellis, vel quasi perduellis animo, in Imperatorem, populumúe Romanum quid dolosè machinatur, l. vlt. ff. ad leg. Iul. maiest. Cùm enim perduellionis crimen sit, quo quis perduellis animo, id est, animo hostili adversus Imperatorem, vel Rempub. Romanam, aut in necem Principis Electoris quid nefariè molitur, d. l. vltim. ff. d. t. Aurea Bulla Caroli IV. dict. tit. Von der Bischoff Seegen: Et quasi perduellionis crimen, cùm aliquis quasi perduellionis animo contra Imperatorem de 47

nece

nece Consiliarii Consistoriani, vel Senatoris] vel militis Imperatoris scelerate cogitat, d.l. Quisquis 5. in prin. C. ad leg. Jul. maiest. Sequitur inde, quod omne crimen maiestatis, quod non est eiusmodi, id est, quod neque perduellionis, neq; quasi perduellionis crimen est, sit crimen maiestatis speciale, argumento §. videamus itaque, 2. Instit. de his, qui sui vel alieni jur. sunt. & §. videamus ergo, 2. Inst. de tutelis.

48 Cæterum speciale maiestatis crimen, vt ex jam dictis apparet, committitur vel adversus Imparatorem, vel contra populum Romanum. Adversus Imperatorem admittit hoc speciale maiestatis crimen, qui absque Imperatoris jussu bellum gerit, delectum habet, exercitum comparat, l. 3. §. Eadem lege, ff. ad leg. Jul. maiest.

49 Ideo antem his modis Cæsarea maiestas violari, & crimen maiestatis committi dicitur, quia solius Imperatoris est exercitum comparare, arma movere, & bellum gerere, l. vn. C. vt armorum vsus inscio Principe interdictus sit, libr. 11. & Can. quid culpatur, 23. quæstion. 1. vbi ex Augustino Gratianus, Ordo, ait, ille naturalis mortalium paci accommodatus hoc poscit, vt suscipiendi belli autoritas, atque consilium penes Principes sit.

50 Pertinet item ad solam Imperatoriam maie-

maiestatem jus habendi delectum militum, id est, milites conquisitos lustrandi, & probandi potestas, vt testatur Constitutio Leonis Imperat. in l. 3. §. vltim. Cod. de agentibus in reb. libr. 12. & Sanctio Imp. Zenonis in l. Neminem 17. Cod. de re militari, libro 12.

Quod Cicero libr. 5. Epistolar. Epistola 4. vocat lustrare exercitum, id Imperatores probare dicunt militem, qui ipsum etiam actum deligendi, & lustrandi milites probatoriam appellant in locis proximè citatis. 51

Non tamen ipsemet semper Imperator militem lustrat, & probat, sed hoc negocium etiam aliis mandare potest, dict. leg. 3. vers. eadem lege, ibi, qui injussu Principis, ff. ad legem Iuliam maiestat. & l. 1. C. qui militare possunt lib. 12. vbi Severus & Antoninus Impp. Si, aiunt, militiæ nomen dare vultis, offerte vos his, qui probandi jus habent; quæ sententia accipienda est de illis, quibus Imperator jus habendi delectum militum tribuit, vel est exaudienda de veteri jure, quo non Imperatori tantum, sed & præpositis militum jus probandi competiit; quippe cùm prædicti Impp. Severus & Antoninus ad Imperii gubernacula sederint longè ante Leonem, & Zenonem Impp. 52

Admit-

53 Admittit item hoc speciale maiestatis crimen adversus Imperatorem, qui statuas aut imagines Imperatoris jam consecratas conflat. l. Qui statuas. 6. ff. ad leg. Jul. maiestat.

54 Cùm † enim ignominiosum sit, alterius detrahere statuas, l. Eorum qui 24. ff. de pœnis. Certè atrocissimam Cæsareæ maiestati imponit injuriam, qui statuam in honore eius erectam, & consecratam detrahit, & conflat: quippe cùm etiam ex persona injutiæ atrocitas æstimetur. l. Prætor edixit 7. §. vlt. ff. de injur. & §. Atrox injuria. vers. vel ex persona, Instit. d. t. & statuæ etiam Imperatoris non nisi ex beneficio & concessione ipsius speciali ab alio poni queant, l. de his, quæ singulis 26. §. 2. C. de Episcopali audient, l. 1. C. de statuis & imaginib.

55 Quod si tamen quis reprobatas conflaverit Imperatoris statuas, non incurrit in hoc crimen, l. 4. §. vltim. ff. de leg. Jul. maiestat. Reprobatæ autem statuæ videntur esse, quæ extra imperiale beneficium sunt ab aliquo locatæ per text. in d. l. 1. C. de statuis & imaginib.

56 Similiter non venit in hoc crimen, qui imagines aut statuas Imperatoris nondum consecratas conflat, argumento d. l. Qui statuas 6. ibi, jam consecratas, & l. 5. in fin. ibi, nondum consecratas, ff. de leg. Jul. maiest. Cùm enim certâ solennitate Imperatoris

statuæ,

ſtatuæ, & imagines ſint erigendæ, l. 2. C. de ſtatuis & imaginib. ea ſolennitate nondum adhibita, nec ſtatuæ, aut imagines Cæſaris erectæ videntur; quippe cum deficiente Rei formâ & ſolennitate, res ipſa abeſſe, & non exiſtere videatur, l. Julianus 9. §. ſed ſi quis 3. in fin. ff. ad exhibendum, & l. 1. §. ſi quis ſimpliciter, ff. de verb. oblig. & † paria ſint, 57
quid non fieri, & non rectè fieri, l. 1. §. Et quidem, ff. quod cuiusque vniverſitat. nom. l. 2. §. ſi quis, ff. de his qui ſatiſdare cog. l. quamvis. 8. §. ſi convenerit, ibi, quod enim intereſt non det; an talem dèt, ff. ad Senatuſconſultum Velleian.

Quemadmodum qui conflat Imperatoris 58
imagines, vel ſtatuas conſecratas, ſic & qui eas vendit, in ſpeciale maieſtatis crimen incidit, dict. l. Non contrahit. 5. §. vlt. ff. de leg. Jul. maieſt.

Tum etiam ille, qui eas lapidibus, aut quo 59
alio modo offendit, hoc contrahit crimen, d. l. qui ſtatuas, 6. ibi, aliudve quid ſimile admiſerit, ff. d. t.

Si quis tamen lapide jactato fortuitò ſta- 60
tuam, aut imaginem Cæſaris attigerit, maieſtatis crimen non committit. d. l. non contrahit, 5. §. 1. ff. eodem Tit. quippe cum nec injuriam faciat, qui cum ſervo ſuo pugnum ducere vellet, alium in proximo ſtantem invitus percuſſerit, l. 4. ff. de injur.

66 Non obstat, quod adulterans probam monetam crimen falsi contrahit, & eius criminis pœnâ plectitur, l. qui falsam, 19. ff. de leg. Cornel. de falsis. Id quod arguit etiam sedes, & collocatio Tituli Codicis de falsa moneta, qui respicit & pertinet etiam ad præcedentem Titulum ad legem Cornel. de falsis. Non, inquam, id obstat. Non enim rarum est in jure nostro, quod vnum idemque crimen diversimodè consideratur, & ad diversa criminum genera & titulos diversa consideratione referri potest. Sic scriptio famosi libelli est crimen publicum, est item privatum delictum, injuria scilicet, l. vn. C. de famosis libell. l. lex Cornelia 5. §. si quis 9. & §. seq. junct. l. seq. ff. de injur. vt & pulsare & verberare aliquem, & alterius domum vi introire, d. l. 5. in princ. & l. Constitutionibus 37. §. 1. ff. d. t. & l. hos accusare 12. §. vlt. vers. vlt. ff. de accusationibus. Sic etiam qui turbæ, seditionisve faciendæ consilium iniit, & crimen maiestatis contraxisse dicitur, l. 1. §. 1. vers. quove cætus conventusve fiat, hominesve ad seditionem convocentur, ff. de leg. Jul. maiestat. & vim publicam commisisse affirmatur l. 3. in princ. ff. ad leg. Jul. de vi public.

67 Non est hoc loco omittendum quod moneta tribus modis adulterari dicitur. Primò, si quis dolosè alterius monetæ suam imprimtam

mat formam & insignia. Deinde, si quis ei metallũ adiecerit vilius. Tertiò si quis ponderi monetæ justo quid fraudulenter detrahat, Peinliche Halßgerichts Ordnung Keyser Carls deß V. Articul. CXI. Cuius verba hæc sunt: In dreyerley weiß würdt die Müntz verfelscht / Erstlich / wann einer betrüglicher weiß eines andern Zeichen darauff schlecht. Zum andern / wann einer vnrecht Metall darzu setzt. Zum dritten / so einer der Müntz jhre rechte schwere gefährlich benimbt.

Cæterum sunt nonnulla facta, quæ licet quandam criminis maiestatis speciem habere videantur, ei tamen crimini verè aggregari non possunt. Veluti si Iudex contra constitutionem Imperatoris in judicio pronunciaverit. l. 1. C. ad leg. Iul. maiest. Observare quidem Judex debet, ne aliter judicet, quam legibus, aut constitutionibus, aut moribus proditum est, §. 1. Instit. de offic. Iud. & Authent. jubemus, C. de jud. Can. in istis, distinct. 4. Verùm si sacræ constitutionis formam & tenorem non observaverit in judicando, licet non incidat in maiestatis crimen, vt jam dixi, alia tamen pœna eum manet, sive expectat. Sententia † enim contra sacras constitutiones lata, ipso jure nulla est, l. si expressim 19. ff. de appellat. l. 1. §. item cum contra, ff. quæ sententiæ sine appellat. rescindantur, l. 2. C. Quando provocare non 68 69

rans diu dissimilavit, in insulam tantum relegetur. Unde sequitur quòd conscius criminis maiestatis, non ordinariâ, sed leviori pœna plectatur. At nodus hic dissolvendus est, hunc in modum.

Qui occultat militem populi Romani, is ipsemet nihil directò periculi creat populo Romano, proindeq; nec ille, qui scit occultari ab alio militem, idque diu dissimulat. At qui ipsemet de nece cogitat Imperatoris, Principis Electoris, Consiliarii Cesaris Consistoriani, vel militis Imperatoris, hic directò in vitæ discrimen eos adducit, proinde etiam qui eius criminis conscius est, & non revelat illud, ipsemet meritò censetur directò vitæ ipsorum insidias ponere: quippe cùm is,
42 qui potuit hominem liberare à morte, † & non liberavit, eum occidere dicatur, c. sicut dignum, §. illi etiam, qui non, extr. de homicidio.

43 Postremò sententiam nostram evertere existimatur ipsemet textus in d. l. quisquis. 5. §. pen. C. ad leg. Iul. maiest. quo tamen nos eam firmare putamus, locus enim ille nõ videtur loqui simpliciter de omni conscio criminis huius, sed de consciis satellitibus, & ministris eorum, qui de nece Imperatoris, vel Consiliarii Consistoriani, aut militum Cæsaris cogitat, proindeque de his, qui ipsimet opem delinquentibus ferunt. Verba

enim

enim illius §. hæc sunt: Illud quod de prædictis, eorumque filiis cavimus, etiam de *Satellitibus consciis, ac ministris*, filiisque eorum simili severitate censemus. Sed respondendum est, adductis illis verbis evidenter conscios distingui, ab ipsis satellitibus, ab ipsis item ministris directò delinquentium, siquidem Impp. Arcadius & Honorius primò meminerint satellitum, deinde consciorum, tertiò ministrorum, cum aliàs, si vox conscis, vt adjectivum referri deberet ad Satellites, & ministros, Imperatores ita locuti fuissent. *Etiam de consciis satellitibus, ac ministris*, vel hòc modo. *Etiam de satellibus, ac ministris consciis*, maximè cum aliàs probati autores latini de satellitibus & ministris conjunctim loquantur. Sic Cicer. in quadam oratione, *eosdem*, ait, *ministros, & satellites*, item *minister, ac satelles cupiditatum*, & alibi, *virtutes satellites, & ministræ cupiditatum*. Et certè quia conscius parricidii eadem plectitur pœna, qua ipse parricida, dict. leg. vtrum. 6, ff. de leg. Pompeia de parricid. dubium non est, quin conscius perduellionis, vel quasi perduellionis similiter eadem teneatur pœnâ, quâ ipse Reus perduellionis, vel quasi perduellionis; siquidem filius patrem, & pater filium, qui ad delendam patriam venit, impunè occidere possit, & insuper ex ea nece præmio affi-

afficiatur. l. minimè 35. ff. de religiosis & sumptib. funer.

44 Ceterùm conclusio nostra de eo criminis huius conscio exaudiri debet, qui si revelet crimen probationibus quoque ostendere illud potest. Cùm enim accusator Rei huius criminis, quæstioni & tormentis subiiciatur, si aliis argumentis manifestis accusationem suam comprobare non possit, l. 3. l. 4. C. ad leg. Iul. maiestat. & l. Decuriones, 16. C. de quæstionib. iccirco nemo tenetur revelare crimen, quod probare non potest, per textum in l. Nostris 8. ibi, singuli vniversique cognoscant, non licere in eo, quod non possit ostendi, judicum animos commoveri, C. de calumniatorib. Est etiam textus in c. Nolentes. §. Notarii, ibi: quòd si taliter ea sciverint, vt ea probare valeant, si sit opus hæc prælatis inquisitorum & commissariorum eorundem, ad quos id pertinebit, nunciare sollicitè debeant, Tit. de hæreticis, in Clement. Atque hanc limitationem amplectuntur communiter Dd. nostri, quos referunt & sequuntur Hippolyt. de Marsil. sing. 164. & Anton. Gomez in Commentariis var. resolut. Tom. 3. c. 2. n. 8. vers. Advertendum tamen Rol. à Valle cons. 88. n. 10. & seqq. vol. 2. & Ant. Gabr. Rom. in communib. concl. lib. 7. de maleficiis concl. 37. n. 5. qua conclus. quasdam alias limitationes proponit.

Alii

Alii tamen distinguunt inter accusatio- 45
nem, & simplicem denunciationem. Ad illam non teneri criminis conscium, nisi probare possit; ad hanc teneri eum, licet non possit maleficium probare scribunt, quos refert & sequitur Fachin. lib. 9. controv. c. 86.

Ordinatio tamen Württembergica de ge- 46
nerali inquisitione, & denunciatione, die Rugordnung / requirit, vt denunciator possit, vel probare crimen, quod defert, vel ostendere circumstantias, ex quibus indicia criminis peti possint, Fürstl. Württ. Landtsordnung / Tit. Politisch Censur / vnnd Rugordnung / pag. 240. & 243.

HACTENVS de perduellionis, & quasi perduellionis crimine; dispiciendum dehinc de crimine maiestatis speciali.

Est autem crimen maiestatis speciale, cum 47
quis civis Romanus alio, quàm perduellis, vel quasi perduellis animo, in Imperatorem, populumúe Romanum quid dolosè machinatur, l. vlt. ff. ad leg. Iul. maiest. Cùm enim perduellionis crimen sit, quo quis perduellis animo, id est, animo hostili adversus Imperatorem, vel Rempub. Romanam, aut in necem Principis Electoris quid nefariè molitur, d. l. vltim. ff. d. t. Aurea Bulla Caroli IV. dict. tit. Von der Bischoff Seegen: Et quasi perduellionis crimen, cùm aliquis quasi perduellionis animo contra Imperatorem de

nece

nece Consiliarii Consistoriani, vel Senatoris] vel militis Imperatoris scelerate cogitat, d.l. Quisquis 5. in prin. C. ad leg. Jul. maiest. Sequitur inde, quod omne crimen maiestatis, quod non est eiusmodi, id est, quod neque perduellionis, neq; quasi perduellionis crimen est, sit crimen maiestatis speciale, argumento §. videamus itaque, 2. Instit. de his, qui sui vel alieni jur. sunt. & §. videamus ergo, 2. Inst. de tutelis.

48 Cæterum speciale maiestatis crimen, vt ex jam dictis apparet, committitur vel adversus Imparatorem, vel contra populum Romanum. Adversus Imperatorem admittit hoc speciale maiestatis crimen, qui absque Imperatoris jussu bellum gerit, delectum habet, exercitum comparat, l. 3. §. Eadem lege, ff. ad leg. Jul. maiest.

49 Ideo autem his modis Cæsarea maiestas violari, & crimen maiestatis committi dicitur, quia solius Imperatoris est exercitum comparare, arma movere, & bellum gerere, l. vn. C. vt armorum vsus inscio Principe interdictus sit, libr. 11. & Can. quid culpatur, 23. quæstion. 1. vbi ex Augustino Gratianus, Ordo, ait, ille naturalis mortalium paci accommodatus hoc poscit, vt suscipiendi belli autoritas, atque consilium penes Principes sit.

50 Pertinet item ad solam Imperatoriam maie-

maiestatem jus habendi delectum militum, id est, milites conquisitos lustrandi, & probandi potestas, vt testatur Constitutio Leonis Imperat. in l. 3. §. vltim. Cod. de agentibus in reb. libr. 12. & Sanctio Imp. Zenonis in l. Neminem 17. Cod. de re militari, libro 12.

Quod Cicero libr. 5. Epistolar. Epistola 4. vocat lustrare exercitum, id Imperatores probare dicunt militem, qui ipsum etiam actum deligendi, & lustrandi milites probatoriam appellant in locis proximè citatis. 51

Non tamen ipsemet semper Imperator militem lustrat, & probat, sed hoc negocium etiam aliis mandare potest, dict. leg. 3. vers. eadem lege, ibi, qui injussu Principis, ff. ad legem Iuliam maiestat. & l. 1. C. qui militare possunt lib. 12. vbi Severus & Antoninus Impp. Si, aiunt, militiæ nomen dare vultis, offerte vos his, qui probandi jus habent; quæ sententia accipienda est de illis, quibus Imperator jus habendi delectum militum tribuit, vel est exaudienda de veteri jure, quo non Imperatori tantum, sed & præpositis militum jus probandi competiit; quippe cùm prædicti Impp. Severus & Antoninus ad Imperii gubernacula sederint longè ante Leonem, & Zenonem Impp. 52

Admit-

53 Admittit item hoc speciale maiestatis crimen adversus Imperatorem, qui statuas aut imagines Imperatoris jam consecratas conflat. l. Qui statuas. 6. ff. ad leg. Jul. maiestat.
54 Cùm † enim ignominiosum sit, alterius detrahere statuas, l. Eorum qui 24. ff. de pœnis. Certè atrocissimam Cæsareæ maiestati imponit injuriam, qui statuam in honorẽ eius erectam, & consecratam detrahit, & conflat: quippe cùm etiam ex persona injuriæ atrocitas æstimetur. l. Prætor edixit 7. §. vlt. ff. de injur. & §. Atrox injuria. vers. vel ex persona, Instit. d. t. & statuæ etiam Imperatoris non nisi ex beneficio & concessione ipsius speciali ab alio poni queant, l. de his, quæ singulis 26. §. 2. C. de Episcopali audient, l. 1. C. de statuis & imaginib.
55 Quod si tamen quis reprobatas conflaverit Imperatoris statuas, non incurrit in hoc crimen, l. 4. §. vltim. ff. de leg. Jul. maiestat. Reprobatæ autem statuæ videntur esse, quæ extra imperiale beneficium sunt ab aliquo locatæ per text. in d. l. 1. C. de statuis & imaginib.
56 Similiter non venit in hoc crimen, qui imagines aut statuas Imperatoris nondum consecratas conflat, argumento d. l. Qui statuas 6. ibi, jam consecratas, & l. 5. in fin. ibi, nondum consecratas, ff. de leg. Jul. maiest. Cùm enim certâ solennitate Imperatoris statuæ,

ſtatuæ, & imagines ſint erigendæ, l. 2. C. de ſtatuis & imaginib. ea ſolennitate nondum adhibita, nec ſtatuæ, aut imagines Cæſaris erectæ videntur; quippe cum deficiente Rei formâ & ſolennitate, res ipſa abeſſe, & non exiſtere videatur, l. Julianus 9. §. ſed ſi quis 3. in fin. ff. ad exhibendum, & l. 1. §. ſi quis ſimpliciter, ff. de verb. oblig. & † paria ſint, 57
quid non fieri, & non rectè fieri, l. 1. §. Et quidem, ff. quod cuiusque vniverſitat. nom. l. 2. §. ſi quis, ff. de his qui ſatiſdare cog. l. quamvis. 8. §. ſi convenerit, ibi, quod enim intereſt non det; an talem det, ff. ad Senatuſconſultum Velleian.

Quemadmodum qui conflat Imperatoris 58
imagines, vel ſtatuas conſecratas, ſic & qui eas vendit, in ſpeciale maieſtatis crimen incidit, dict. l. Non contrahit. 5. §. vlt. ff. de leg. Jul. maieſt.

Tum etiam ille, qui eas lapidibus, aut quo 59
alio modo offendit, hoc contrahit crimen, d. l. qui ſtatuas, 6. ibi, aliudve quid ſimile admiſerit, ff. d. t.

Si quis tamen lapide jactato fortuitò ſta- 60
tuam, aut imaginem Cæſaris attigerit, maieſtatis crimen non committit. d. l. non contrahit, 5. §. 1. ff. eodem Tit. quippe cum nec injuriam faciat, qui cum ſervo ſuo pugnum ducere vellet, alium in proximo ſtantem invitus percuſſerit, l. 4. ff. de injur.

E Non

Non obstat, quod damnum dare dicitur, & legis Aquiliæ actione tenetur, qui lapidem jaciendo in loco, vbi id non licet, damnum alicui etiam fortuitò infert, l. Item si obstetrix 9. §. vlt. & l. item Mela. 11. in princip. ff. ad legem Aquiliam. Nam lege Aquilia non modò dolus, sed & culpa etiam leuissima punitur, l. in lege 44. ff. ad legem Aquil. At lex Iulia maiestatis coërcet duntaxat dolum, non etiam culpam, l. 1. §. 1. ibi, dolo malo, l. 4. ibi, dolo malo, & l. penult. ff. de leg. Jul. maiest.

61 Adhæc speciale maiestatis crimen committit, qui sibi vindicat dolo malo imperatoriam potestatem, aut nomen, vel insignia Principis dolosè assumit. l. 3. in fin. ibi, quive magistrat⁹ pro potestate magistratúve quod sciens dolo malo gesserit, ff. d. t. & tradit post alios Tiber. Decian. in Tract. criminali, lib. 7. cap. 9. num. 2. 4. & 12.

62 Similiter contrahit hoc speciale maiestatis crimen, qui injussu Imperatoris monetam cudit, textus est in l. 2. C. de falsa moneta.

63 Cum enim jus formandi, & cudendi monetam publicam, sit de regalibus, id est, ad solum Imperatorem pertineat, Tit. 56. quæ sint regalia, lib. 2. feudor. Sequitur inde maiestatis crimen eos committere, qui absque Imperiali privilegio monetam formant.

64 Quin imò facultatem cudendi monetam ne qui-

ne quidem impetrare ab Imperatore privatus aliquis potest, l. vltim. C. de falsa moneta, vbi gloss. Bart. & Salycet. scribunt, quod licet Princeps concesserit privato alicui privilegium hoc, etiam ex certa scientia, nec tamen eam valere concessionem; Id quod & alii volunt, quos refert, & sequitur Tiber. Decian. dict. lib. 7. cap. 23. num. 3.

Quemadmodum in crimen maiestatis incurrit, qui sine Imperatoris jussu publicam monetam cudit, sic eodem se crimine polluit, qui probam Imperatoris monetam adulterat, tum quia formare sive cudere monetam, & monetam probam adulterare à pari procedunt, Peinliche Halsgerichts Ordnung Keyser Carls deß Fünfften/ Artic. CXI. & l. 1. in princ. & d. l. 2. C. de falsa moneta; tum quia non modò qui Imperatoris statuas, vel imagines conflat, sed & qui eas laedit, maiestatis crimen contrahit. d. l. qui statuas. 6. ff. de leg. Iul maiest. 65

Tum etiam quia cuncti, circa monetam Imperatoris qui aliquid machinantur dolosè, maiestatis crimen committunt, d. l. 2. C. de falsa moneta. Denique hanc sententiam nostram amplectitur post alios etiam Hieronym. Gigas in Tractat. de crimine laesae maiestat. Rubric. qualiter & à quibus, quaest. 62. & Tiber. Decian. Tractat. criminali, lib. 7. cap. 23.

66 Non obstat, quod adulterans probam monetam crimen falsi contrahit, & eius criminis pœnâ plectitur, l. qui falsam, 19. ff. de leg. Cornel. de falsis. Id quod arguit etiam sedes, & collocatio Tituli Codicis de falsa moneta, qui respicit & pertinet etiam ad præcedentem Titulum ad legem Cornel. de falsis. Non, inquam, id obstat. Non enim rarum est in jure nostro, quod vnum idemque crimen diversimodè consideratur, & ad diversa criminum genera & titulos diversa consideratione referri potest. Sic scriptio famosi libelli est crimen publicum, est item privatum delictum, injuria scilicet, l. vn. C. de famosis libell. l. lex Cornelia 5. §. si quis 9. & §. seq. junct. l. seq. ff. de injur. vt & pulsare & verberare aliquem, & alterius domum vi introire, d. l. 5. in princ. & l. Constitutionibus 37. §. 1. ff. d. t. & l. hos accusare 12. §. vlt. vers. vlt. ff. de accusationibus. Sic etiam qui turbæ, seditionisve faciendæ consilium inivit, & crimen maiestatis contraxisse dicitur, l. 1. §. 1. vers. quove cætus conventusve fiat, hominesve ad seditionem convocentur, ff. de leg. Jul. maiestat. & vim publicam commisisse affirmatur l. 3. in princ. ff. ad leg. Jul. de vi public.

67 Non est hoc loco omittendum quod moneta tribus modis adulterari dicitur. Primò, si quis dolosè alterius monetæ suam imprimitam

tam

mat formam & insignia. Deinde, si quis ei metallũ adiecerit vilius. Tertiò si quis ponderi monetæ justo quid fraudulenter detrahat, Peinliche Halsgerichts Ordnung/Keyser Carls deß V. Articul. CXI. Cuius verba hæc sunt: In dreyerley weiß würdt die Müntz verfelscht / Erstlich / wann einer betrüglicher weiß eines andern Zeichen darauff schlecht. Zum andern / wann einer vnrecht Metall darzu setzt. Zum dritten / so einer der Müntz jhre rechte schwere gefährlich benimbt.

Cæterum sunt nonnulla facta, quæ licet quandam criminis maiestatis speciem habere videantur, ei tamen crimini verè aggregari non possunt. Veluti si Iudex contra constitutionem Imperatoris in judicio pronunciaverit. l. 1. C. ad leg. Iul. maiest. Observare quidem Judex debet, ne aliter judicet, quam legibus, aut constitutionibus, aut moribus proditum est, §. 1. Instit. de offic. Iud. & Authent. jubemus, C. de jud. Can. in istis, distinct. 4. Verùm si sacræ constitutionis formam & tenorem non observaverit in judicando, licet non incidat in maiestatis crimen, vt jam dixi, alia tamen pœna eum manet, sive expectat. Sententia † enim contra sacras constitutiones lata, ipso jure nulla est, l. si expressim 19. ff. de appellat. l. 1. §. item cum contra, ff. quæ sententiæ sine appellat. rescindantur, l. 2. C. Quando provocare non

68

69

est necesse,& c. cum inter, extr. de sentent.
70 & re jud. Et † si judex dolo malo in fraudem legis sententiam dixerit, parti læsæ veram litis æstimationem præstare cogitur, l. filiusfamil. 15. & l. seq. ff. de jud. Si verò per imprudentiam malè judicaverit, in quantum, de ea re æquum religioni judicantis videbitur, pœnam sustinebit, Inst. de obligat. quæ quasi ex delicto nascuntur. in princip. & l. Si quis 5. §. si judex. ff. de oblig. & act.
71 Similiter si quis per venerationem Imperatoris quodam calore juraverit, semper se fore alicui iratum, nec tamen perseveret irasci eidem, vel aliter peieraverit, licet videatur Imperatoris maiestatem offendere, attamen in crimen maiestatis non incidit, l. 2. C. de reb. credit. & l. 2. C. ad leg. Iul. maiestat. Ex quibus duabus legibus evincitur, quod perjurium per Principem olim punitum fuerit vt crimen maiestatis.
72 Etsi autem perjurium per Principem ex inconsulto calore profectum non sit maiestatis crimen, si tamen quis in re pecuniaria per Imperatoris venerationem consultò pejeraverit, pœna illius perjurii est ictus fustium, l. Si duo 13. §. vltim. ff. de jurejurand. Quo in loco quod est jurare per genium Principis, hoc in dict. leg. 2. C. de rebus credit. est pejerare per venerationem Principis. Nolebāt enim postea Christiani hac vti formula;
Per

Per genium Principis, sed ista vtebantur; per salutem Principis; vt Tertullianus alicubi scribit. Et † autumant nonnulli quòd Alex. 73
quidem Imp. in d. l. 2. C. d. t. scripserit, per genium Principis, sed Tribonianum id mutasse, & scripsisse, per venerationem Principis.

Dispiciamus nunc de speciali maiestatis crimine, quod adversus populum Romanum committitur. Adversus † populum Ro- 74
manum contrahitur speciale maiestatis crimen, cum quis pro parte aliqua Remp. Romanam offendit. Ita sentire ac definire videtur hoc crimen, & rectè quidem Fr. Hotomanus in Commentariis verb. juris, in verb. Perduelles, quem sequitur Tiber. Decianus in d. Tract. criminali, lib. 7. cap. 6. nu. 4. tum etiam Arnold. ab Haersolte in adversar. de actionib. ad 7. partem Pandect. act. 29. n. 3. vbi ex Hotomano, eius tamen nomine omisso, vnde, ait, apparet differentia inter crimen læsæ maiestatis, & perduellionis. Maiestatis enim crimine tenentur, qui partem aliquam Reip. læserunt, veluti qui Duces hostium accepta pecunia liberarunt, aut privatim domi suæ hostium Duces tenuerunt &c. Perduellionis autem crimen in eos cadit, qui summam Reipublicæ labefactare conati sunt.

Cæterum quia speciale maiestatis crimen 75
committitur non tantum adversus Populum Romanum, sed etiam contra ipsummet

Imperatorem, vti ſuperioribus aliquot prælectionibus oſtendi, iccirco definitio Hotomanni, Deciani, & Arnoldi ab Haerſolte ita generalis non eſt, vt vtrumque ſpeciale illud maieſtatis crimen complectatur, ſed eſt tantum ſpecialis, & illud duntaxat comprehendit ſpeciale maieſtatis crimen, quod adverſus Populum Romanum committitur, non etiam illud, quod committitur adverſus Imperatorem.

76 Eſt autem hoc, de quo agimus, ſpeciale maieſtatis crimen in duplici differentia. Aut enim quis dolo malo ſaltem curat, vt alius quiſpiam Reipub. Romanæ partem lædat; l. 1. §. 1. ibi, quo tenetur is, cuius opera dolo malo conſilium inium erit, item ibi, feceritve dolo malo, &c. & l. 3. in fin. ibi, quive quid eorum quæ ſupra ſcripta ſunt facere curaverit. & l. 4. in princ. & l. penult. ff. de leg. Jul. maieſtat. Aut verò quis ipſemet ſuo proprio facto, & per ſe populum Romanum pro parte offendit, l. 2. d. l. 3. verſ. Quive cum ei, & d. l. 4. in princ. verſ. Item qui confeſſum, & l. pen. ff. d. t.

Nihil obſtat huic diſtributioni, quod interdum quis vtroque modo, puta conſilio, ſive cura ſua, itemqúe proprio ſuo facto, Rempubl. Romanam pro parte lædit: vt ſi alicuius, ope conſilio, hoſtibus provincia aliqua, vel civitas prodatur, de quo exemplo eſt d.

est d. l. pen. ff. eod. titul. vel si alicuius opera consilio magistratus Populi Romani occidatur. d. l. 1. §. 1. vers. Cuiusve opera consilio. ff. dict. tit. Nihil, inquam, id obstat. Primò enim quod attinet citata jam loca, sciendum est, quod isthæc oratio, OPE, CONSILIO, item OPERA CONSILIO, etiam disjunctim, & separatim accipi potest l. alienationis 28. §. vltim. ff. de verb. sign. vbi, Paulus Jurisconsultus oratio, ait, quæ neque conjunctionem, neque disjunctionem habet, ex mente pronunciantis, vel disjuncta vel conjuncta accipitur. Sic idem Iurisconsultus Paulus in l. sæpè 53. in princ. ff. d. t. Sæpè, ait, ita comparatum est, vt conjuncta pro disjunctis accipiantur. Et nominatim idem Jurisconsultus in eiusdem legis §. vltim. id declarat in oratione, de qua hîc agimus, quæ est, OPE, CONSILIO, cum ait, illa verba OPE, CONSILIO, quemadmodum accipienda sunt: sententiæ conjungentium aut separantium; Sed verius est, quod & Labeo ait, separatim accipienda, quia aliud factum est eius, qui ope; aliud eius, qui consilio furtum facit. Id quod tradit etiam Ulpian. in l. In furti 50. §. consilium, & l. si quis 52. in princ. & §. Neque verbo, ff. de furtis. Quocirca oratio illa, OPERA CONSILIO, item hæc oratio, OPE CONSILIO, etiam pro disjunctis accipitur in dict. leg. 1. §. 1. vers. cuiusve opera

E 5 con-

consilio, & in dict. leg. penult. ff. de leg. Jul. maiestat.

78 Deinde responderi potest, quod licet quis interdum vtroque modo, puta & consilio suo, & proprio facto partem Reip. Romanæ lædat, ex eo tamen propositam distributionẽ haud rectè imperfectionis argui. Nam & juris conditores sub duobus simplicibus in distributione expressis, casum etiam mixtum comprehendunt. Sic Justin. Imp. in §. 1. Inst. de action. & JC. Ulp. in l. actionum 25. in pr. ff. de oblig. & action. dividunt actionem in duo summa genera; In actionem scilicet in rem, & actionem in personam; cum tamen quædam actiones sint mixtæ, tam in rem, quam in personam, §. quædam actiones mistam causam obtinere videntur, Institut. de action.

79 Nec audiendus est Donellus, qui mixtas actiones esse negat, & verbum VIDENTUR, ita exponit, vt significet, quasdam actiones id præ se quidem ferre, quasi tam in personam, quàm in rem essent, re autem verâ eas tantum esse in personam, non etiam in rem. Non est, inquam, hac in parte audiendus Hugo Donellus.

80 Certum quippe est, quòd licet verbum, VIDERI, quandoque fictionem significet, non rarò tamen illud denotare etiam proprietatem, & veritatem, vt in l. Titio 71. §. Titio ge-

tio genero, ibi, consultū videtur, ff. de cond. & demonstrat. l. 1. §. sed non vtique 3. ff. ad Senatusconsultum Turpillian. l. vlt. vers. Sed & voluntas hæc patris esse videbatur. ff. ad Senatusconsultum Trebell. l. Servum 44. §. 1. ibi, quia vbi legatarius non repudiavit, retrò ipsius fuisse videtur, ff. de leg. 1. & l. 3. §. Ex contrario, ibi, tu quoque id tenere videaris, ff. de adquir. vel amitt. poss.

Et quia mistâ actione qui agit, veluti famil. ercisc. actione, vel actione communi dividundo, partem dominii habeat in communi hereditate, vel in re communi dividenda, dubium non est, quin suam illam partem actione in rem petat, siquidem in rem actio domino adversus possessorem tribuatur, l. in rem actio 23. in pr. ff. de rei vindicat.

Non refragatur etiam propositæ à nobis distributioni, quod quis interdum non faciendo, sive omittendo speciale maiestatis crimen cōmittit, veluti si quis sciat hostem populi Romani occultari, nec tamen maturè id significet, sed diu dissimulet, l. Metrodorum 40. junct. l. Eorum qui, 24. ff. de pœnis, aut si quis de provincia, cum ei alius successit, non discedit, nec successori exercitum tradit, l. 2. l. 3. ff. de leg. Jul. maiest. Non, inquam, hoc refragatur. Nam † in jure nostro per factum significatur quoque infectum, sive non factum, §. vlt. Inst. de verbor. oblig. 84

vbi Justin. Imp. Non solum ait, res in stipulationem deduci possunt, sed & facta; vt si stipulemur aliquid fieri, vel non fieri. Sic Paulus Iurisconsultus in l. 2. §. pen. ff. eodem tit. Si, ait, in facto sit stipulatio, veluti si ita stipulatus fuero, per te non fieri, &c. Et licet quoque, ut ostendi, non factum in stipulationem deduci possit, nihilominus tamen à Paulo Jcto stipulatio simpliciter hoc modo dividitur, quod alia in dando, alia in faciendo consistat, l. 2. in princ. ff. de Verborum Obligat.

Sed videamus quibus modis per se aliquis, & suo proprio facto Rempubl. Romanam pro parte lædat; quibus item modis quis curare dicatur, vt alius quispiam partem Reipubl. Romanæ offendat.

83 Suo proprio facto, & per se Rempublicam Romanam pro parte offendit aliquis, vel faciendo, vel omittendo. Faciendo, si obsides populi Romani absque jussu Principis dimittat, l. 1. §. 1. vers. quo tenetur is. ff. de leg. Jul. maiest. Hieron. Gigas, in Tract. de crim. læsæ maiestat. Rubric. Qualiter & à quibus quæst. 19. Si item armatus ipse cum armatis hominibus in provincia vel vrbe aliqua adversus eam Rempubl. ita veniat, vt vel loca, vel templa ibi occupentur, dict. l. 1. §. 1. vers.
84 quo armati homines, ff. d. t. Hier. † Gigas dict. Rubr. Qualiter & à quibus quæstio. 11.

quæst.

quæst. 23. nu. 2. qui tamen dict. quæst. 23. nu. 2. hoc pronunciatum de ea accipit civitate, quę superiorem non recognoscit. Sed malè, cum d. l. 1. §. 1. loquatur de vrbe imperii Romani, & omnis in imperio Romano civitas superiorem recognoscat, scilicet Imperatorem. Item si magistratum aliquem populi Romani, aut eum, qui imperium aut potestatem habet, occidat, d. l. 1. vers. Cuiusve opera, ff. h. t. vel, si ipse arma contra quandam in orbe Romano Rempubl. ferat, vel hostem adversus quandam in imperio Romano Rempubl. suis manibus juvet, l. 1. §. 1. ff. de leg. Jul. maiest. Mynsing. Respons. 44. nu. 2. decad. 5. Si item exercitum populi Romani in insidias ducat, hostibusque prodat; l. 2. ff. d. t. Hier. Gigas dict. Rubr. Qualiter & à quibus. quæst. 60. Si exercitum eundem sine licentia fugiendo deserat, d. l. 2. ff. eodem. Gigas dict. Rubr. Qualiter & à quibus num. 45. si ad hostes profugiat, l. 2. ff. h. t. Si in publicis tabulis in damnum Reipub. dolo malo quid scribat, l. 2. ff. d. t. Anton. Capyc. decis. 130. num. 17. Hier. Gigas dict. Rubr. Qualiter & à quibus num. 43. vel si hostem fugientem sciens suscipiat, eumque occultet, l. Metrodorum 40. junct. l. Eorum 24. ff. de pœnis. Si provinciam, vel civitatem hostibus prodat. l. pen. ff. de leg. Jul. maiest. Si confessum in judicio Reum, & propter hoc in vincula conie-

coniectum, emittat, l. 4. in fine principii, ff.
85 eod. Tit. Hieron. Gigas † dict. Rubr. Qualiter & à quibus, quæst. 58. num. 3. & seqq. allegatum locum, & iuris textum, de omni accipit criminis Reo, non tantum de Reo criminis læsæ maiestatis; & rectè quidem. Est enim locus ille generalis, proindeque generaliter accipiendus.

86 Sed non immeritò hic dubitaverit quispiam, an huius quoq; generis sit, qui privatus pro potestate, magistratúve quid sciens dolo malo gerit? Certum quidem est, quod & hic crimen maiestatis committat, l. 3. ff. de leg. Iul. maiestat. est item manifestum, quod hoc crimen in faciendo consistat, verùm adversus Imperatorem, vel contra populum Romanũ an committi dicatur, obscurum planè videtur. Arbitror autem, & hoc factum huius esse generis, eoq; populum Romanũ & eius maiestatem offendi, si quis magistratum, & potestatem publicam alii cuidã legitimè competentem sibi vindicet, & pro eo alieno magistratu, ac publica potestate sciens dolo malo quid gerat, puta delinquentes in carcerem coniiciat, eosq; condemnet, l. 1. C. de privatis carcerib. Cùm enim ipsum populum Romanum, eiusq; maiestatem lædat, qui magistratum populi Romani, vel eum, qui imperium & potestatem in Romano imperio habet, occidit, l. 1. §. 1. in prin. junct. vers. Cuiusve opera

consilio,

consilio, ff. de leg. Jul. maiest. cur non æquè diceretur & ille populum Romanum,& eius maiestatem offendere,qui magistratui populi Romani legitimo, & ordinario, jus & potestatem competentem sibi adscribit?

Quod si verò aliquis jus magistratus in se 87
quidem transmoveat,non tamen hoc animo, vt alii illud auferat, sed quasi ab Imperatore id sibi tributum fuerit,is certè speciale maiestatis crimen adversus ipsum Imperatorem, non contra populum Romanum committit. Quippe cum jus creandi magistratum, magistratum inqnam maiorem, veluti Præsidem provinciæ,aut Pronconsulem,quorum loco hodie sunt Marchiones, Duces, Comites,solius Imperatoris sit,l. vn. ff. de leg. Jul. ambitus.l. Quidam 57. in fine, ff. de re judic. l. vlt. C. ad legem Jul. repetundar. & titul. 53. §. Homicidium quoque, lib. 2. feudor. Proindeque inter regalia connumeretur, in Tit. 56. quæ sint regalia lib. eodem feudor. Unde si quis propria autoritate jus carceris sibi assumat,crimen, vt dixi,læsæ maiestatis adversus ipsum Imperatorem committit, d. l. 1. C. de privatis carceribus,vt & ille, qui propria autoritate ad exercendum merum imperium furcas erigit.Hieron.Gigas dict.Rubr. Qualiter & à quib. quæst.41.

Incurrit & ille in speciale maiestatis crimẽ, 88
qui confugientes ad Sacrosanctas Ecclesias,

inde

inde abducit, aut abducere tentat, text. est in l. 2. vbi gl. C. de his, qui ad Ecclesiam confugiunt, & quidem in hoc, de quo hic agimus, crimen, vt quod adversus ipsam populi Romani maiestatem, & eius securitatem contrahitur, vt patet ex textu d. l. 1. §. 1. in princ. junct. vers. 1. ibi, locáve occupentur vel templa, ff. de leg. Jul. maiest.

89 Sunt tamen nonnulli, qui impunè de Ecclesia extrahi possunt, de quibus in c. inter alia, & c. fin. extr. de immunitate Ecclesiar. & de his tractat. Hier. Gigas dict. Rub. Qualiter, & à quib. quæst. 10. nu. 5. & seqq,

90 Huic quoque generi & illi aggregandi videntur, qui illicitum constituerunt Collegium, l. 2. & ibi gl. ff. de colleg. junct. l. 1. §. 1. ibi, locáve occupentur, vel templa, ff. de leg. Iul. maiestat. & tradit Hieron. Gigas, dict. Rubric. Qualiter & à quibus, quæst. 48. sed quia jus instituendi Collegii impetratur vel ab Imperatore, vel à toto Senatu populi Romani, l. 3. §. 1. ff. de collegiis, & l. 1. in fine principii ff. Quod cuiusque vniversitatis nomine, idcircò illiciti collegii coitione offenditur tam Imperatoris, quàm populi Romani maiestas.

91 Sub hoc genere criminis læsæ maiestatis & illa examinari quæstio commodè potest, an maiestatis crimen committat, qui Ducem, Marchionem, aliumve in Imperio Romano

mano Principem qui Elector non est, aut Comitem, vel Baronem immediatè Imperio subditum occidit, aut vitæ eius insidias struxit? Nihil autem dubito, quin & hic speciali hoc maiestatis crimine se polluat. Certum quippe est, quod hi Principes, Comites & Barones sunt magistratus Populi Romani, siquidem sint loco Proconsulum, & Præsidum provinciarum, qui erant magistratus populi Romani. Hotomanus in Commentar. verb. jur. in verb. magistratus, Menoch. consil. 99. num. 80. certum itidem est, quod prædicti Principes, Comites, & Barones potestatem ac imperium habeant. Quicunq; autem magistratum populi Romani, vel eum, qui imperium potestatemúe habet, occidit, is in hoc speciale maiestatis crimen incurrit, per text. in d.l. 1. §. 1. vers. Cuiusvé opera consilio. ff. de leg. Jul. maiest.

Corroborat eandem hanc sententiam textus in l. 3. vers. Reus etiam maiestatis, vbi Paul. Castrens. C. de Episcopali audient. vbi Valentinianus, Theodos. & Arcad. Imppp. REUS, aiunt, maiestatis, DE DOMINO, adversus quem talia molitus est, veniam sperare non debet. Quibus verbis DOMINI appellatione non Imperatorem tantum, sed & quevis alium Principẽ significare Imppp. videntur. Guido tamen Papa in decisionib. Grationopol. quæst. 344. nu. 2. per dominum 92

 ibi in-

ibi intelligit superiorem non recognoscentem dominum.

93 Accedit in confirmationem huius conclusionis, quod prædicti Principes, Comites & Barones sunt Senatores populi Romani, vt qui in Comitiis Imperialibus de commodo & vtilitate Imperii vna cum Cæsarea maiestate consultant, & deliberant. Sed qui de nece Senatoris populi Romani cogitat, is crimẽ maiestatis contrahit, l. Quisquis 5. in pr. C. ad leg. Jul. maiest. Quicunque ergò insidias ponit vitæ eiusmodi alicuius Principis, Comitis, aut Baronis, maiestatis crimen committit. At quia d. l. quisquis, 5. C. d. t. de iis loquitur Senatoribus, qui sunt pars Consistorii Cæsarii: Principes verò prædicti pars sunt Consilii publici, iccircò horum aliquem qui occidit, ipsum populum Romanum offendit, proindeq; hoc speciale maiestatis crimen, de quo hîc disserimus, committit. Idq; vo-
94 lunt † Dd. nonnulli, qui tradunt, adversus Principes superiorem recognoscentes contrahi etiam maiestatis crimen, sed impropriè, nam in filios delinquentis non converti eam pœnam, quæ definita est, & statuta in d. l. quisquis 5. C. h. t. Ita scribunt Laudens. Tract. de crimine læsæ maiestatis. quæst. 1. Alexand. consil. 13. num. 7. vol. 6. & alii, quos referunt & sequitur Hieronym. Gigas dict. Rubric. Qualiter & à quibus, quæst. 29. Jul. Clar. lib. 5. sentent.

ſentent. §. læſæ maieſtatis crimen, nu. 3. Roland. à Valle conſil. 88. num. 4. vol. 2. & conſil. 74. num. 3. & 5. volum. 3. Aymon Cravet. conſil. 224. nu. 6. & Tiber. Decian. lib. 7. cap. 4. num. 8.

Sed hæc concluſio noſtra à multis aliis improbatur, qui volunt, non incurrere in maieſtatis crimen, qui Marchiones, Duces, Comites; Imperatorem aliumve ſuperiorem recognoſcentes, offendunt. Ita volunt Bartol. ad conſtit. Henrici VII. Imp. Tit. qui ſint rebelles, in verb. rebellando. num. 3. Nellus Tract. Bannitor. part. 1. quæſt. 16. Anton. Peregrinus de jure fiſci, lib. 4. cap. 5. nu. 24. Anchoran. Conſil. 289. Alex. conſil. 103. n. vlt. vol. 1. Dec. conſil. 410. col. fin. Ruinus conſil. 3. num. 12. volum. 5. Anton. Gomez. in Comment. Tomo 3. cap. 2. nu. 10. Weſenbec. in paratit. ff. ad leg. Jul. maieſt. nu. 7. verſ. Porrò quia tantum & Mynſing. Reſp. 44. nu. 12. decad. 5. vbi addit, quod hæc cõmunior & verior ſit opinio. Neque alienus ab hac opinione videtur eſſe Andr. Fachinæus lib. 9. controv. jur. cap. 32. verſ. Hæc ſententia, & verſ. ſeq. 95

Argumenta quibus hanc ſuam muniunt opinionem hæc ſunt, quod Titul. ff. & Cod. ad legem Jul. maieſtat. agant tantum de Imperatore, & populo Romano; non etiam de aliis Principibus Imperatore inferioribus. Quod item cæterorum Principum 96

maiestas sit nulla. Quod denique l. Quisquis 5. C. ad leg. Jul. maiestat. vetus jus de maiestatis crimine nominatim extendat sollummodo ad viros illustres, Consiliarios Cæsaris consistorianos, Senatores, & eos, qui Cæsareæ maiestati militant. Proindeque ad alios jus illud porrigendum non esse; tum
97 quia † odiosa & pœnalia non sint extendenda, sed restringenda, c. odia, Tit. de reg. jur. in 6. l. cum quidam 19. in fin. ff. de lib. & posthumis, l. penultim. ff. de pœnis, tum
98 quia † inclusio vnius, sit exclusio alterius, l. cum prætor 12. in princ. ff. de judic. l. maritus 21. C. de procuratoribus. Menoch. post alios consil. 216. num. 22. & seqq. lib. 3.
99 Verùm hæ rationes nullum hic nobis negocium faciunt. Quod etenim primam attinet rationem, ea à veritate planè aliena est, ostensum quippe abundè supra, quod etiam in magistratu populi Romani, & his, qui imperium ac potestatem habent, crimen maiestatis committatur, d. l. 1. §. 1. vers. Cuiusvè opera consilio, ff. de leg Jul. maiest.

Alteram quod attinet rationem, verum quidem est, maiestatem solius Imperatoris esse, & populi Romani, non aliorum; at jura nostra testantur, quod ipsa Cæsarea, & populi Romani maiestas, etiam in aliis offendatur, vti hactenus ostendi. Denique sicuti d. l. quisquis 5. C. ad leg. Jul maiest. jus civile de maie-

de maiestatis crimine porrigit etiam ad consiliarios Cæsaris Consistorianos, Senatores item, & eos, qui Imperatori militant: Ita etiam l. 1. §. 1. vers. Cuiusvé opera consilio, ff. de leg. Jul. maiestat. jus de maiestate populi Romani extendit quoque ad magistratus populi Romani, & illos, qui imperium, & potestatem habent; cuiusmodi hodie etiam sunt Marchiones, Duces, Comites, qui provincias Imperii gubernant.

Quemadmodum maiestatis crimen contrahit, qui insidias ponit vitæ Marchionis, Ducis, Comitis, Baronis, ita eodem se polluit crimine, qui de nece magistratus civitatis Imperialis nefariè cogitat; tum quia & hic imperium ac potestatem habet; tum quia id disertè ostendit generalitas textus in d. l. 3. vers. Reus etiam maiestatis, vbi Paul. Castrens. C. de Episcop. audient. tum etiam, quia & hic magistratus pars est publici consilii in Comitiis Imperialibus, vt proinde hoc speciale maiestatis crimen, in eo quoque contrahi non absurdè dici possit, arg. d. l. quisquis, 5. in princ. C. ad leg. Jul. maiestat. Atque hanc sententiam amplectuntur Augustinus Ariminensis ad Angel. Tractat. de maleficiis, in verb. Et hai tradito la tua patria, num. 6. Jodoc. Damhouder. in praxi rer. crim. cap. 62. num. 1. & Jul. Clar. in dict. §. læsæ maiestatis crimen, nu. 3. Facit quoque 100

huc, quod Alexand. consil. 13. num. 4. vol. 6. Aymon Cravetta consil. 224. num. 6. & Roland. à Valle consil. 88. num. 2. volum. 2. scribunt, quod etiam adversus dominum vnius Castri crimen maiestatis committatur.

101 Offert se nobis hoc loco & alia multum anceps, & controversa quæstio, an maiestatis contrahat crimen, qui patriam suam Imperio subiectam oppugnat, vel prodit? vtriusque opinionis, negatæ & affirmatæ patronos recenset Hieronym. Gigas dict. Rubric. Qualiter, & à quibus, quæstion. 24. Ipse verò Gigas quodam distinctionis fœdere in concordiam eas opiniones reducere conatur. Distinguit enim inter eum, qui oppugnat, vel prodit patriam suam hoc animo, vt eius dominium sibi vendicet; & illum, qui oppugnat, aut prodit patriam hoc consilio, vt saltem in illa partialitates, & dissensiones inter cives concitet. Illum maiestatis contrahere crimen ait; hunc non item.

104 Verùm enimverò quocunque animo quis suam patriam oppugnet, vel prodat, maiestatis crimen contrahere mihi videtur. Cùm enim quivis alius civis Romanus, qui provinciam, vel civitatem Romano Imperio subiectam oppugnat, vel prodit, maiestatis Reus fiat, l. penult. ff. de leg. Jul. maiestat. multò magis ille hoc committere crimen dicendus erit, qui suam patriam Imperio subie-

ſubiectam prodit, vel oppugnat: quippe cum & filius patrem, & pater filium, patriæ proditorem, necare impunè poſſit, l. Minimè 35. ff. de religioſis & ſumptibus funer. Et quia hic quoque maieſtatis crimen incurrit, qui duntaxat ſeditionem in civitate concitat, dict. l. 1. §. 1. verſ. Quóve conventus, ff. de leg. Jul. maieſt. cur non æquè & ille eodem ſe pollueret crimine, qui patriam ſuam oppugnat, vel prodit?

Non obſtat huic deciſioni noſtræ textus in l. vltim. verſ. Sin autem, ibi, violata maieſtate, aut oppugnata patria, vel prodita, Cod. de abolitionibus. ibi enim Impp. Valentinianus & Valens de violatæ maieſtatis crimine, & crimine oppugnatæ, vel proditæ patriæ diſtinctè loquuntur, non quod oppugnare, vel prodere patriam maieſtatis crimen non ſit, ſed vt nominatim, & ſpecialiter oſtendant, ſicuti accuſationis abolitio in alio maieſtatis crimine non tribuitur accuſatori, ita nec in oppugnata vel prodita patria eam concedi. Quæ † enim notabilia ſunt, ſpecialiter notari debent, ne quaſi neglecta videantur, vt ait Ulp. Juriſconſultus in l. Item apud 15. §. hoc edictum, ff. de injur. & facit l. 1. §. Dixerit, ff. de publ & vectig. idem Juriſconſultus. Dixerit aliquis, ait, quid vbi vtiq; hoc edictum propoſitum eſt? quaſi non & alibi Prętor providerit furtis, damnis, 105 106

vi raptis? Sed è re putavit, & specialiter adversus publicanos edictum proponere. Et in
106 jure † nostro aliâs etiam, quæ sub genere expresso continentur, specialiter quoq; & nominatim post genus exprimuntur, sc. dubitationis tollēdæ causa, & vt significetur, maximè id, de quo agitur, procedere, & obtinere in illa etiam expressa nominatim specie, l. in toto 80. ibi, & illud potissimum habetur, quod ad speciem directum est, vbi Petr. Faber. & l. Quæ dubitationis 81. ff. de regu. jur. Et quia species magis est substantia, quàm genus, teste Arist. in Categoriis, iccirco species post genus non frustra exprimitur, sed ideo, vt innotescat, dispositionem maximè spectare ad eam quoque speciem expressam.

107 Nec movere quenquam debet, quod Impp. Valentinianus & Valens in d. l. vltim. in fin. C. de abolitionibus per particulam, AUT, sejungunt à violata maiestate patriam oppugnatam vel proditam. Etsi enim ea dictio vel disjunctionem, vel subdisjunctionem denotet l. Hæc verba 124. ff. de verbor. sign. Attamen in d. l. vltim. in fin. C. de abolit. illa dictio, AUT, non disiunctionis, sed coniunctionis vim habet, vt sæpè alibi, l. Sæpè, 53. ff. de verb. significat.

108 Hactenus de modis, quibus faciendo maiestas Reipubl. Romanæ offenditur. Omittendo læditur maiestas populi Romani, si quis

quis Rector Provinciæ, vel Capitaneus propugnaculi, aut castri cuiusdam populi Romani, cum successorem acceperit, de provincia, vel propugnaculo, aut castro illo non discedat, vel exercitum militemvé successori non tradat, aut quis alius etiam non juvet exercitum populi Romani, l. 2. & l. 3. vers. quive cum ei, ff. de leg. Jul. maiestat. Hieron. Gigas dict. Rub. Qualiter & à quibus, quæst. 47. & quæst. 50. Tum etiam, si quis hostem populi Romani alicubi occultari non ignoret, id tamen diu reticeat, l. Metrodorum 40. ff. de pœnis. Aut tributum Reipubl. Romanæ debitum solvere contumaciter neget. Hieronym. Gigas dict. Rubric. Qualiter & à quibus, quæst. 36.

SEQUUNTUR jam modi, quibus saltem curat aliquis, vt per alium Respubl. Romana offendatur. Hi autem modi duplices sunt; Aut enim quis consilium dat alii, hoc est, persuadet, impellit, atque instruit consilio quempiam, ad offendendum populum Romanum, arg. l. In furti 50. §. consilium. ff. de furtis. Aut verò sciens dolo malo aliquid commodat alii, quo is Rempubl. Romanam lædat, per l. Si pignore 54. §. pen. ff. d. t. 10

Prioris generis est ille, qui hostibus provinciæ, vel civitatis imperii nuncium literasvé mittit, signumvé dat, quo adversus eam provinciam, vel civitatem ipsi hostes instru-

 antur,

antur, l. 1. §. 1. verſ. Quive hoſtibus, ff. de leg. Jul. maieſt. Hieronym. Gigas dict. Rub. Qualiter & à quibus, quæſt. 21. vel quo minus hoſtes ipſi in poteſtatem eius provinciæ vel civitatis veniant, l. 4. in prin. v. factumvé dolo malo. ff. d. t. Tum etiam ille, qui dolo malo conſilium dat, quo obſides populi Romani intercidant; vel armati homines cum telis lapidibuſvé in urbe ſint, conveniantvé adverſus Rempubl. locavé occupentur, vel templa; quové cœtus, conventuſvé fiat, homineſvé ad ſeditionem convocentur, d. l. 1. §. 1. v. quo tenetur is, ff. h. t. Item ille qui conſilium impertit, quo quis magiſtratus populi Romani; quive Imperium vel poteſtatem habet, occidatur, aut arma contra Rempubl. ferat, d. l. 1. §. 1. verſ. Cuiuſvé opera conſilio, ff. d. t. vt & ille, qui facit, quo hoſtes populi Romani conſilio ab aliis adverſus Rempubl. juventur, d. l. 1. §. 1. verſ. feceritvé dolo malo, ff. eod. tit. Nec non & ille, qui milites ſollicitat, concitat, quò ſeditio, tumultuſvé adverſus Rempubl. fiat, d. l. 1. §. 1. verſ. vltim. ff. h. t. Tum quoque ille, qui dolo malo aliquem jurejurando eò adigit, vt adverſus Rempubl. quid faciat, l. 4. in princ. verſ. 1. ff. eod. tit. Item ille, qui conſilium dat, quò Rex exteræ nationis populo Romano minus obtemperet, d. l. 4. in princ. ibi, cuiuſvé dolo malo, ff. d. tit. vel quo magis obſides, pecu-

pecunia, jumenta hostibus populi Romani adversus Rempublicam dentur dict. l. 4. in princ. vers. penultim. ff. eod. tit. quò denique provincia, vel civitas hostibus prodatur, l.pen.ff. d. t.

Posterioris generis eum esse dicimus, qui commeatus, arma, tela, equos, pecuniam, aliamvé quam rem hostibus populi Romani commodat, atque hoc modo eos adversus populum Romanum juvat, d. l. 4. in princ. vers. Cuiusvé opera dolo malo, ff. h. t. Hieronym. Gigas, dict. Rubric. Qualiter & à quibus, quæst. 34.

Coronidis loco sub finem huius capitis 110
isthæc quoque controversa proponi quæstio potest: An etiam solo conatu maiestatis crimen committatur, etiamsi effectus secutus non sit? Id quod sine hæsitatione affirmandum erit, per textum expressum in d.l. Quisquis 5. in princip. vers. Eadem enim, vbi Dd. C. ad leg. Jul. maiest. & in nova Caroli I V. sanctione Aureæ bullæ, Tit. Von der Ertzbischoffe Segen. Neque obstat, quod Ulpianus Jurisconsultus in l. cogitationis 18. ff. de pœnis, cogitationis pœnam neminem pati scribit. Id enim intelligendum de sola & mera delinquendi cogitatione, & voluntate interiori, sed l. Quisquis 5. in princ. C. hoc Tit. & Aureæ Bullæ constitutio, de ea nocendi voluntate loquuntur, quæ in actum ipsum prorupit,

prorupit & exteriori quodam facto fuit declarata, Jul. Clar. dict. §. læsæ maiestatis crimen. num. 15. Cyrill. Fulgeonius in summa criminali, Rubric. de offic. Præsid. §. 9. nu. 9. pag. 17. & Tiber. Decian. Tractat. criminal. lib. 7. cap. 35.

CAP. III.

De Pœnis Reorum Majestatis.

SUMMARIA.

1 *Verbale maiestatis crimen quandoq; impunitatem habet.*
2 *Animo iniuriandi qui maledixit Imperatori, non à Iudice, sed ipsomet Imperatore arbitrariè punitur.*
3 *Sententia l. vn. in fin. C. si quis Imperatori maledixerit. Vbi Accursii explicatio reijcitur.*
4 *Quando lex non definit pœnam delicti, tunc ea arbitraria est, non certa.*
5 *Error Interpretum ostenditur.*
6 *Refutatur ratio Interpretum.*
7 *Distinguendum inter crimen perduellionis, crimen quasi perduellionis, & crimen maiestatis, ita specialiter dictum.*
8 *Ex crimine perduellionis punitur non modo Reus, sed & eius filij, & filiæ.*
9 *Reus perduellionis, & corpore, & bonis punitur.*
10 *Pœna perduellionis tenetur etiam, qui hoc crimen commisit in Principe Electore.*
11 *Capitis pœna in perduelles antiquissima est.*
12 *Perduellionis crimen omnium est nefandissimum, & sceleratissimum.*
13 *Pœna perduellionis moribus recepta, est discissio corporis in quatuor partes.*
14 *Carolina constitutio probat pœnam dissectionis, & aliam addit,* Das Schleiffen vnd mit Zangen reissen.
15 *Quæ pœna sit perduellionis Venetiis, & in Gallia.*
16 *Perduellionis pœna est etiam bonorum confiscatio.*
17 *Licet in Principe Electore sit commissum hoc crimen.*

18 Hac

18 *Hac perduellionis pœna etiam novo Iustinianeo iure probata est.*
19 *Respondetur ad contrarium argumentum.*
20 *Alia responsio.*
21 *Anceps quæstio, Reus Maiestatis utrum amittat sua bona ipso iure, an verò sequutâ sententiâ.*
22 *A tempore sententiæ latæ amittit bona sua reus perduellionis, non à tempore commissi delicti. Vbi argumenta adferuntur.*
23 *Argumentum primum.*
24 *Argumentum secundum.*
25 *Argumentum tertium.*
26 *Argumentum quartum.*
27 *Argumentum quintum.*
28 *Argumentum sextum.*
29 *Argumentum septimum.*
30 *Respondetur ad rationes opinionis contrariæ.*
31 *Ademptio iuris alienandi non arguit amißionem dominij.*
32 *Responsio ad secundum argumentum ex l. vlt. ff. de lege Iulia maiestat.*
33 *Responsio ad tertium argumentum ex l. vltim. C. ad leg. Iul. maiestat.*
34 *Responsio ad quartum argumentum ex l. Quisquis 5. in fine principij. C. d. t.*
35 *Responsio ad argumentum quintum ex l. ex iudiciorum 20. ff. de accusat.*
36 *Responsio ad argumentum sextum ex c. Felicis. §. si qua verò, & §. seq. Tit de pœnis in 6.*
37 *Responsio ad argumentum septimum, & c. cum secundum, §. Bona hereticorum, Tit. de heretic. in 6.*
38 *Responsio ad argumentum octavum, ab autoritate Doctorum.*
39 *Quæstio dubia: An etiam futura bona rei maiestatis, ut quæ post contractum perduellionis crimen adquisivit, fisco vindicentur?*
40 *Communis Dd. sententia aiens reijcitur.*
41 *Responsio ad argumentum opinionis affirmatæ.*
42 *Conciliatio l. 2. C. de bonis pro scriptor. cum l. Eius qui 8. §. 1. ff. Qui testament. fac. poss.*
43 *Argumentum à contrario sensu non procedit contra legem apertam.*
44 *Quæstio anceps: An etiam feudum Rei criminis maiestatis publicetur una cum allodio.*
45 *Fiscus est loco extranei heredis.*
46 *Non publicantur bona, quæ Reus iure singulari possidet.*

47 *Quæstio*

47 *Quaestio, an feudum hereditarium, quod etiam ad extraneos transit heredes, fisco inferatur publicatis Rei bonis.*
48 *Memoria etiam defuncti Rei perduellionis damnatur.*
49 *Quid sit damnare memoriam Rei perduellionis.*
50 *Poena Reorum perduellionis & hac est, quod ipsorum filij neque in maternam, neque in avitam, neque in aliorum propinquorum hereditatem succedunt.*
51 *Infamia patris Rei perduellionis comitatur etiam filios.*
52 *An poena parentis liberos afficiens ex perduellionis crimine sublata sit per l. sancimus. C. de poenis.*
53 *Negativa probatur contra Budaeum.*
54 *Transitio paterna poena ex perduellionis crimine in liberos probari videtur etiam l. Quando 10. in fin. C. de bon. proscript & Sanctione Caroli IV. in Aurea bulla,* Von der Bischoff Segen/ꝛc.
55 *Ratio, cur patris ex scelere hoc, etiam filij puniantur, duplex adfertur*
56 *Quaestio, an filiae etiam propter patris crimen perduellionis puniantur.*
57 *Ratio, cur filiabus relinquatur legitima ex maternis bonis, non etiam filiis Rei perduellionis.*
58 *Quaestio, an filiae Rei perduellionis sint exortes avitae hereditatis, aliorumq́ propinquorum successionis.*
59 *Filiabus non irrogatur infamia ob patris crimen perduellionis.*
60 *Poena criminis paterni an transeat etiam ad filios ante contractum illud scelus natos, quaestionis est dubia?*
61 *Distinctionem non admittit quod simpliciter dicitur.*
62 *Responsio ad argumenta opinionis illorum, qui poenam criminis paterni non porrigunt ad filios ante contractum crimen perduellionis natos.*
63 *Filij fruuntur dignitate, & honore patris, licet nati sint antequam pater honorem adipisceretur.*
64 *De intellectu l. Senator 11. C. de dignitatib. lib. 12.*
65 *An si mater committat perduellionis crimen, poena materni sceleris eius quoque filios teneat, quaestio dubia.*
66 *Decisio affirmans.*
67 *Vox masculini generis complectitur etiam genus foemininum, etiam in odiosis, & poenalibus.*
68 *Quaestio, an etiam nepotes sustineant poenas criminis aviti?*
69 *Quaestio, an uxor mariti Rei perduellionis aliquod sentiat incommodum ex hoc mariti scelere?*
70 *Quaestio, an ex perduellione filij pater eius poenam sustineat?*
71 *Amor descendit, non ascendit.*

72 *Quaestio,*

72 *Quæstio, an hereditas avita, & propinquorum, item extraneorum à qua arcentur filij perduellium, fisco cedat, nec ne?*
73 *Hereditas, quæ aufertur alicui, vt indigno, non per se, sed ex alio, non vindicatur fisco, sed aliis legitimis successoribus relinquitur.*
74 *Filij perduellium non indigni, sed incapaces dicuntur hereditatis.*
75 *Qui intercedit pro Reo perduellionis, infamia notatur.*
76 *Pœna quasi perduellionis, est corporis, & bonorum.*
77 *Quidam existimant quasi perduellionis Reum sua non amittere bona.*
78 *Quæstio anceps: An quasi perduellionis Reus cum alodio suam etiam emphyteusin amittat?*
79 *Quæstio, emphyteusis Ecclesiastica, an transeat ad heredes descendentes in infinitum, vel ad tertiam vsque generationem.*
80 *Emphyteusis Ecclesiastica an transeat ad heredes etiam extraneos?*
81 *Quæstio: an emphyteusis Ecclesiastica, quæ ex pacto ad extraneos etiam pertinet heredes, propter Emphyteutæ crimen quasi perduellionis fisco vindicetur?*
82 *Quæstio: an Ecclesia intra biennium possit à fisco repetere emphyteusin Ecclesiasticam.*
83 *Quæstio nodosa, an salvam habeant liberi legitimam suam, cum bona patris ob perduellionis crimen confiscantur?*
84 *Pater onerare non potest liberorum legitimam, nec minuere illam.*
85 *Legitima debetur iure naturæ.*
86 *Legitima pacto tolli non potest.*
87 *Legitima est liberorum debitum.*
88 *In confiscatione bonorum æs alienum prius est solvendum.*
89 *Damnato perduellionis Reo filijs non relinquitur legitima.*
90 *Legitima non debetur liberis vivo parente.*
91 *Argumentum ab vltima voluntate ad delictum non procedit.*
92 *Legitima propriè non est naturæ debitum.*
93 *Legitima cur dicatur naturæ debitum.*
94 *Lege effici potest, ne hereditas parentum ad liberos pertineat.*
95 *Maior est potestas legis, quam pacti.*
96 *Legitima an statuto possit tolli, vel minui.*
97 *Legitima, & æs alienum in iure nostro invicem separantur.*
98 *Quæstio perplexa, an filio criminis maiestatis condemnato, pater teneatur eius legitimam fisco præstare?*
99 *Vivo patre liberi quodammodo existimantur domini bonorum paternorum.*

100 *Legiti-*

100 *Legitimam filij perduellionis rei an mortuo patre fiscus posse- re queat?*
101 *Legitima debetur liberis parente vivo tantum spe quadam.*
102 *Spes successionis non transit ad heredem extraneum.*
103 *Hereditas delata Reo perduellionis,non autem adita ab ipso,nō pertinet ad fiscum.*
104 *Reo quasi perduellionis mortuo ante damnationem, memoriā eius an damnetur postea, quæstio dubia.*
105 *Pœna quasi perduellionis in liberis Rei duplex est. bonorum,& infamia.*
106 *Arguitur error Doctorum,qui existimant, filiós Rei quasi per- duellionis non affici pœna ob paternum hoc crimen.*
107 *Filiæ quasi perduellis salvam retinent legitimam in bonis ma- ternis.*
108 *Quæstio,an filij partem faciant in computatione legitima,cum agitur de legitima filiarum in bonis maternis?*
109 *Pœna criminis maiestatis ita specialiter dicti,vel corporalis est, vel bonorum.*
110. *Corporalis pœna huius criminis est vel ultimum supplicium, vel deportatio,vel relegatio.*
111 *De pœna bonorum.*
112 *Duo sunt capita legis Iuliæ maiestatis ex sententia Dd.*
113 *Priori capite quæ facta contineantur non convenit inter Dd. ut nec quæ contineantur capite altero.*
114 *Incertum est, duo an plura fuerint legis Iuliæ maiestatis capita.*
115 *Reus maiestatis. si liberos,aut parentes habeat superstites, quæ- stionis est dubiæ, an hoc casu bona ipsius confiscentur, vel li- beris, aut parentibus relinquenda sint.*
116 *Intellectus Novell. 134. cap. ult. in fin.*
117 *Crimen perduellionis significatur quandoque per crimen maie- statis ita simpliciter dictum.*
118 *De intellectu l. eorum 9. ff. de lege Iulia maiestatis.*

INSPICIEMUS dehinc quæ pœna in Reos maiestatis jure convertatur. Et primò quidem, quam pœnam sustineat, qui maledicto maiestatem Imperatoris, aut populi Romani violavit; Pòst quæ pœna constituta sit in eos, qui facto quodam eorundem læserunt maiestatem.

Male-

Maledicto qui offendit maiestatem illorum, vel impunitatem assequitur, vel arbitrariâ afficitur pœnâ. 1

Impunitatem habet, qui vel ex levitate 2
sive temeritate, sive lubrico linguæ, vel ex insania Imperatori, aut populo Romano maledixit l. vn. C. si quis Imp. maledixer. l. famosi 7. §. hoc tamen, vers. Nam & personam, ff. ad leg. Iul. maiestatis.

Qui verò injuriandi animo Imperatori maledixit, similiter quidem impunitus dimittitur à Judice; Ipse tamen Iudex Imperatorem de eo maledicto, & persona maledicentis certiorem facere debet; cuius maiestas pro injuriæ & personæ qualitate maledicenti arbitrariã imponit pœnam, d. l. vn. in fin. C. si quis Imp. maledixerit, vbi Theodosius Arcad. & Honorius Imppp. † Primum 3
si, aiunt, ab injuria, (scilicet maledictum processit) remittendum, id est condonandum; scilicet maledictum, vt Cuiac. ibidem in paratit. rectè interpretatur. Accursius verò vocem, remittendũ, exponit de ipso maledicente, sive obtrectatore, eumque ad Imperatorem esse remittendum scribit; Verùm hãc Accursii expositionem Grammatica nõ patitur, quæ desiderat, vt ibi dictio, *remittendum*, eandem habeat subauditionem, quam præcedentes voces *contemnendum est, & dignissimum*, quæ voces dum accipiendæ

G sunt

sunt de ipso maledicto, non de maledicente, sive obtrectatore. Non enim salva grammatica rectè dixeris, *contemnendum est obtrectator*, neque *miseratione dignissimum est obtrectator*. Deinde subijciunt Impp. in fine eiusdem legis vnicæ hæc verba: *vnde integris omnibus hoc ad nostram scientiam referatur, vt ex personis hominum dicta pensemus, & vtrum prætermitti, an exquiri debeant, censeamus.* Ex quibus verbis cognoscimus, injuriosum alicuius in Imperatorem maledictum, si eiusmodi sit, vt pœnam mereatur, ab ipsomet Imperatore coërceri.

4 Quia verò isthæc Impp. dispositio non definit huic injurioso maledicto specialem, & certam aliquam pœnam, dubium est nullum, quin ea sit arbitraria, per text. in l. si quis Reum 4. ff. de custodia & exhibit. reor. & l. 1. §. Expilatores, vers. Quibus nulla ff. de effractorib.

5 Errore igitur ducuntur Interpretes nostri, quando scribunt, ex maledicto non contrahi maiestatis crimen, idque constitutum esse in dict. l. vn. C. si quis Imper. maledixer. In quo errore versatur quoque Cuiac. ad Jul. Paul. lib. 5. sentent. Tit. 29.

6 Non patrocinatur huic Interpretum errori, quod in C. Tit. si quis Imperatori maledixerit, separatur à Tit. ad leg. Jul. maiestar. Cum enim diversæ sint species criminis maiesta-

maiestatis, maledictum, & factum, quibus maiestas violatur, iccircò singulæ illæ species singulis titulis explicantur; Sicuti species injuriæ, quæ per famosum libellum infertur, speciali titulo Cod. de famosis libellis, proponitur, qui titulus distinctus est à Tit. de injuriis.

Quod attinet pœnam Reorum maiestatis, 7
qui facto quodam maiestatem Imperatoris, vel populi Romani violarunt, distinguendum hic est, inter crimen perduellionis, crimen quasi perduellionis, & crimen maiestatis ita specialiter dictum.

Perduellionis crimen, & ipsum criminis 8
Reum, & quosdam alios pœnæ obnoxios facit.

Reus qui commisit hoc facinus, & cor- 9
poris, & bonorum pœna afficitur. Corporis pœna est vltimum supplicium, & quidem gladii pœna, §. publica autem judicia, Instit. de public. judiciis, & l. Quisquis, 5. in fin. principii, ibi, *ipse quidem vtpote maiestatis Reus gladio feriatur*, Cod. ad legem Jul. maiestat. Anton. Capic. decis. 130. num. 18. 19. & 20. Gomez. in Commentar. jur. Tomo 3. cap. 2. num. 11. & Menoch. consil. 99. num. 60.

Atque hæc pœna imponitur non tantum 10
his, qui perduellionis crimen in persona Imperatoris, vel in Republic. Romana

commiserunt, sed & qui crimen illud admiserunt in persona Principis Electoris, ut disertè ostendit textus in aurea bulla Caroli IV. Tit. Von der Erzbischoffe Segen in gegenwertigkeit eines Keysers.

11 Estque hæc capitis pœna in perduelles antiquissima. Nam & lege 12. tab. in hos ea constituta fuit l. 3. in princip. ff. de leg. Jul maiestat. vbi Marcianus Jurisconsultus, lex, ait, duodecim tabul. iubet eum, qui hostem concitaverit, quive civem hosti tradiderit, capite puniri. Prius illud exemplum de concitato hoste, adversus scilicet Rempub. Romanam, vel Imperatorem, est perduellionis exemplum, ut patet ex l. ult. ff. d. t.

12 Sed quia perduellionis crimen in humanis omnium nefandissimum est, & sceleratissimum, l. ult. C. ad leg. Iul. maiest. idcirco moribus atrocior in perduelles recepta est pœna.

13 Solent † enim Rei huius criminis in quatuor scindi frusta, quæ in locis eminentibus illius territorii, ubi deliquerunt, appenduntur, Iul. Clar. lib. 5. senten. §. læsæ maiestatis crimen, nu. 8. & Damhauder. in praxi rer. criminal. cap. 62. nu. 6.

14 Quin etiam hanc pœnam in perduelles Carolina sanctione non solum adprobatam, sed & auctam esse planè reor; quippe cum ea cautum sit, ut proditores provinciarum, vrbium, Principum, quorum jurisdictioni & impe-

imperio ipsi subiecti sunt, prius prostrati in terram per plateas in locum supplicii raptentur, trahantur, aut ignitis forcipibus lacerentur, pòst verò in partes quatuor disscindantur, Peinliche halßgerichts ordnung Käyser Karls deß Fünfften / articul. 124. Quod si hæc noua pœna locum habet in proditoribus, qui perduelles non sunt, sed tantum speciales Rei maiestatis, certè multò magis propter eandem, vel potius maiorem rationem constituta videri debet in perduelles, ut qui hostili animo adversus totam Rempublicam Romanam, vel ipsum Imperatorem, aut Principem Electorem quid moliti sunt, per ea, quæ post alios tradit Nicol. Everhard. à Midelburg in locis legalibus, in loco à ratione legis larga, ampla, seu generali ad extensionem ipsius legis, num. 55. 57. 59. 60. 65. 66. & 71.

Venetiis autem Reos huius criminis suspendio necari. In Gallia verò transalpina eosquatuor equis alligatos dilacerari vivos scribit Hier. Gigas in Tract. de crimine læsæ maiestatis, Rubr. de pænis committentium crimen læsæ maiest. quæst. 1. num. 7. & ult. 15

Sequitur de pæna bonorum Rei perduellionis. Non solum vita priuantur, ut ostendi, sed etiam bonis suis omnibus exuuntur, eaque fisco applicatur, l. ult. ibi, hereditas fisco vindicatur, ff. de leg. Iul. maiest. dict. l. quis- 16

quis 5. in fin. princ. ibi, bonis eius omnibus fisco nostro addictis, & l. 6. l. 7. & l. ult. C. d. t. l. 1. C. de petitionib. bonor. sublatis, lib. 11. l. donationes 31 §. ult. ff. de donat. l. cum filius 76. §. ult. ff. de leg. 2. l. 1. C. de bonis libert. & §. Interdum autem, vers. per contrarium. Instit. de hered. quæ ab intest. defer.

17 Atque hæc pœna confiscationis bonorum locum etiam habet cum perduellionis crimen admissum est in Principe aliquo Electore ut testatur aurea Bulla Carol. IV. d. Tit. Von der Ertzbischoff Segen / in gegenwertigkeit eines Keysers.

18 Et licet novo jure damnatorum bona liberis relinquantur, attamen jus vetus, quo bona Reorum perduellionis etiam successoribus auferuntur, d. l. vltim. ibi, nisi à successoribus purgetur, hereditas fisco vindicatur, ff. de leg. Jul. maiest. l. vltim. ibi. Et eius bona successori eius eripiantur, C. eodem tit. nominatim lege nova Iustinianea approbatum est, Novel. 134. cap. vlt. in fin. & Auth. bona damnatorum, C. de bonis proscript.

19 Sed obstare videtur textus in l. Eorum 9. ff. de leg. Jul. maiestat. vbi Martianus Jurisconsultus tunc demum docet fisco vindicari bona damnati huius criminis, si nemo damnati liberorum existat. At quia Martianus Jurisconsultus nominatim de perduellionis crimine ibi non agit, sed meminerit tantum de cri-

de crimine maiestatis, exaudiri debet illud Jurisconsulti pronunciatum de speciali tantum maiestatis crimine, non de crimine perduellionis. Et quidem de levi quodam maiestatis crimine, vt sentit Ioan. Robert. Aurel. lib. 2. sentent. cap. 22. & Menoch. consil. 99. num. 184. vbi interpretatur eam legem de maiest. crimine, de qua agitur in l. 4. §. vltim. l. 5. l. 6. ff. hoc tit. De levi, inquam, maiestatis crimine, ob quod saltem deportatio imponitur, per l. 10. Cod. de bonis proscript.

At potest d. l. Eorum 9. ff. hoc tit. etiam 20
intelligi non de bonis damnati patris, sed de bonis liberti paterni. Ea enim patre perduellionis damnato liberis damnati non auferuntur, sed conservantur, l. 4. ff. de jur. papatronatus, cui legi non refragatur l. 3. ibi. Et libertos ff. de interdictis & relegatis, ibi enim pro *libertos*, legendum est, *liberos*, ut sentit Oldradus consil. 94. nu. 20. & à quibusdam ad eam legem rectè notatur.

Cæterum ingens contentio inter Dd. no- 21
stros nata est de hac quæstione; Utrum ipso jure sua bona Reus criminis maiestatis amittat, an verò condemnatione demum secuta?
Arbitramur † autem hunc, qui maiestatis 22
crimen contraxit, non confestim à tempore delicti amissionem bonorum suorum sustinere, sed damnatoria demum sententia lata,

per textum expressum in l. quæsitum 15. in
23 prin. ff. qui & à quibus manumissi: Ubi Paulus Jurisconsultus disertè scribit, quòd is, qui maiestatis crimine Reus factus est, ante damnationem Dominus sit rerum suarum.

24 Confirmat eandem hanc conclusionem, textus in l. res quæ in controversia 22. in pr. ff. de jure fisci, Quo loco Martianus Jurisconsultus apertè ostendit, quòd res eius, qui maiestatis Reus est, distrahi à fisco non possint, antequam damnatio ipsius rei facta fuerit.

25 Addit quoque robur pronunciato nostro, textus in l. vltim. C. ad leg. Jul. maiest. vbi expressè dicitur, quòd convicto maiestatis Reo eius bona successoribus eripiantur, & fisco vindicentur. Antequam igitur Reus maiestatis convictus fuerit, bona ipsius ad fiscum non pertinent.

26 In confirmationem porrò, huius conclusionis nostræ, accedit etiam textus generalis in l. aufertur 46. §. in reatu, ff. de jure fisci, vbi Hermogenianus Jurisconsultus docet, quòd etiam in reatu constitutus bona sua administrare possit, quòdque ei debitor rectè solvat. Vnde necessariò sequitur, Reum criminis ante sententiam dominum esse rerum suarum non fiscum.

27 Adhæc decisioni nostræ fundamentum positum est solidum in l. ex judiciorum 20.
ff. de

ff. de accusationibus: quo loco Modestinus Juris Conditor excepto, ait, repetundarum, & maiestatis judicio, quæ etiam mortuis reis cũ quib. nihil actum est, adhuc exerceri placuit, *ut bona eorum fisco vindicentur*. Ecce ut bona rei maiestatis fisco vindicentur, iudicium exerceri debet. Non ergò ipso iure à tempore contracti criminis, sed latâ demum sententiâ condemnatoriâ ad fiscum pertinent bona rei maiestatis. 28

Præterea firmamentum habet non leve hæc conclusio nostra ex §. interdum, vers. per per contrarium, in fine Instit. de hereditat. quæ ab intest. defer. vbi Justinianus Imp. disertè tradit, quòd filius rei perduellionis ipso jure suus heres sit patris in reatu defuncti, sed postea eum desinere heredem esse, cùm pater perduellionis iudicatus fuerit. Heres est dominus rerum hereditariarum. §. penult. vers. veteres Institut. de hered. qual. & differ. & l. item Mela. 11. §. legis autem 6. ff. ad leg. Aquil. cùm ergò filius rei perduellionis sit eius heres ante condemnationem, & quidem ipso jure, sequitur inde, quòd etiam dominus sit rerum paternarum, antequam patris memoria condemnata fuerit.

Si autem filius est dominus, fuit & defunctus pater earum dominus: cùm nemo plus juris in alium transferre possit, quod ipse habet, & heres in omne jus defuncti succedat.

29 Denique hanc nostram amplectuntur sententiam Doctores, quos referunt & sequuntur Hieronymus Gigas in Tractat. de crimine læsæ maiestatis Rubric. de pœnis committent. crimen læs. maiestat. quæst. 25. num. 5. Peregrinus de jure fisci lib. 5. Tit. 1. num. 171. Anton. Faber lib. 7. coniecturar. jur. cap. 20. & Fachinæus lib. 9. controvers. jur. cap. 35.

30 Non obstat huic decisioni nostræ, quod alienatio rerum statim post contractum crimen maiestatis, atque ita ex tempore commissi huius sceleris ipso jure adempta est Reo maiestatis, l. donationes 32. §. vltim. ff. de donationibus. l. quisquis 5. §. emancipationes, & l. maiestatis. 6. vers. nam ex eo tempore, & l. vlt. vers. sic & Divi, ibi, ex quo quis tale crimen contraxit C. ad leg. Jul. maiest.

31 Ab adempto enim jure alienandi bona, non rectè arguimus ad ablatum ipsum rerum dominium. Nam marito lege ademptum est jus alienandi prædium dotale, cum tamen ipsius prædii dominus sit, Instit. quibus alienare licet vel non, in princip. & quidem verus dominus, vt latè contra quosdam ostendi in commentario ad l. contractus, ff. de reg. jur. cap. 4. num. 10. Pupillus item est dominus rerum suarum, alienatio tamen illarum ei adempta est, §. nunc admonendi, Instit quib. alienare licet vel non, vt & adulto, qui curatorem habet l. 3. C. de in integrum restit.

stit, minor. eas tamē invito patre alienare nequit. Sic etiam filiusfamilias est dominus rerum adventitiarum, eas tamen alienare patre invito non potest l. vlt. §. filiis autem C. de bonis quæ liberis.

Deinde nihil refragatur quod in l. vlt. ff. de leg. Jul. maiest. ipso crimine perduellionis hereditas defuncti Rei fisco vindicari dicitur. Nō enim eo loco Ulpianus solo crimine defuncti hereditatem fisco vindicari ait, sed addit, *nisi à successoribus purgetur*, atq; ita ostendit, duo requiri adhoc, vt bona Rei maiestatis fisco vindicentur *ipsum scilicet crimen*, & judicialis sententia condemnatoria; quippe cum in ipso judicio crimen purgetur. Et ex sententia Ulpiani purgato crimine bona defuncti Rei fisco non vindicentur. 32

Præterea nihil decerpit nostræ conclusioni, q̄ in l. vlt. C. ad leg. Jul. maiest. Reus huius criminis ex eo tempore, quo crimē hoc maiestatis cōtraxit, punitus dicitur: Addit enim ibi textus, *quodammodo*; & certe reus maiestatis ipso crimine quodammodo punitur, siquidem ex solo contracto crimine ipso jure potestatem alienandi prorsus amittat, nō autem punitur absolute & plene, siquidem, vt ostēdi, condēnatoria hic sentētia requiratur. 33

Non minuit etiam opinionem nostram textus in d. l. quisquis 5. in fine principii, ibi: *Maiestatis Reus gladio feriatur bonis eius omnibus*

bus fisco nostro addictis C. eod. t. Etsi enim vox, *addictis*, sit participium præteriti temporis, inde tamen haud rectè arguitur, etiam ante judicis sententiam bona rei maiestatis fisco esse addicta ipso jure.

Primò enim eo loco Imperatores Arcadius & Honorius præcipiunt, vt Reus maiestatis gladio feriatur: deinde subijciunt verba hæc: *bonis eius omnibus fisco nostro addictis*, Gladio autem feriri non potest Reus, antequam damnatus fuerit: siquidem executionem damnatio præcedat. Volunt itaque Imperatores eo loco, vt bona rei maiestatis fisco addicantur, cùm is per judicis sententiam damnatus fuerit.

35 Adhæc non frangit sententiam nostram textus in d. l. ex judiciorum 20. ff. de accusationibus, cui Dd. nonnulli hanc affingunt sententiam, quòd regulariter ante damnationem bona Reorum fisco non vindicentur; Sed huius definitionis eo loco exceptionem poni in Reo repetundarum, & Reo maiestatis; atque horum bona etiam ante judicis sententiam ipso jure ad fiscum pertinere. Verùm hæc sententia à mente Jurisconsulti Modestini alienissima est. Verba. n. hæc: *Pœna bonorum amissionis non transeunt adversus heredes*, hunc intellectum habent; non possunt exigi pœnæ bonorum amissionis ab heredibus defuncti Rei, nisi cum ipso defuncto

Reo

Reo lis sit contestata & condemnatio eius fuerit secuta. Ab hac tamen regula ibidem excipit Iurisconsultus Modestinus pœnas amissionis bonorum rei repetundarum, & maiestatis, id est, perduellionis, & ostendit, quòd licet Reus huiusmodi ante condemnationem fuerit mortuus, attamen eo etiam mortuo condemnationi locum esse, vt adversus heredes in bonis hereditariis executio fieri possit. Atque hanc eius loci esse sententiam patet ex l. vlt. ff. de leg. Jul. maiest. l. 6. 7. & vlt. C. eod. tit. & §. interdum autem vers. per contrarium, Instit. de heredit. quæ ab intest. defer. & l. 2. ff. de leg. Jul. repetundarum.

Porrò non obstat textus in c. Felicis, §. si 36 qua verò ibi: *sit eis ipso iure privatus*, & §. seq. ibi: *sint eis ipso iure privati*, tit. de pœn. in 6. Nam loquitur ibi, Pontifex Bonifacius VIII. non de propriis Rei maiestatis bonis, sed tātùm de feudalibus, emphyteuticis, & conductis prædiis, item beneficiis & officiis, quę Reus maiestatis ab Ecclesiis aliquibus obtinet: hisce bonis, beneficijs, & officio Reum maiestatis ipso jure privari, eaque ad Ecclesias reverti jubet. Deinde sciendum, quòd sanctio illa Papalis, non ad omnem pertinet maiestatis Reum, sed ad eum duntaxat, qui Romanæ Ecclesiæ Cardinalem hostiliter fuit insecutus, vel percussit, aut cepit, vel socius

fuit

fuit facientis, aut tale facinus cõmitti mandavit, vel factum ratum habuit, aut consilium faciendi dedit, vel reum criminis illius scienter receptavit, defensavit.

37 Ulterius nihil refragatur conclusioni nostræ, quòd bona eius, qui crimen maiestatis divinæ per hęresin commisit, à tempore perpetrati criminis ipso jure in fiscum transierunt, per text. in c. cùm secundum. §. bona hæreticorum, ibi: ipso jure decernimus confiscata, tit. de hęret. in 6. Menochius cons. 99. num. 163. Andreas Gail. post alios lib. 1. de pace publica cap. 19. n. 18. Est enim longè gravius ęternam quàm temporalem offendere maiestatem auth. Gazaros, in fin. pr. C. de. hęret. & manich. & c. vergentis ext. eod. t. de hęret.

38 Deniq; nihil hic deferimus autoritati eorum, qui sententiæ contrariæ patrocinantur, licet numero multi sint, quos referunt & sequuntur Nicol. Boërius decisio. 277. num. 12. Jul. Clarus lib. 5. sentent. §. læsæ maiestatis crimen num. 9. Menoch. dict. consil. 99. n. 160. 161. & 162. & Tiberius Decian. in tr. criminal. lib. 7. cap. 40. nu. 6. Non enim ex multitudine auctorum, sed ꝙ melius & æquius est, judicandum, vt ait ipsemet Justinianus in constitut. de conceptione Digestorum. §. sed neque 6. & in l. 1. §. Sed neque 6. C. de veter. jur. enucl.

39 Expeditæ jam quæstioni proxima est illa; an etiam

an etiam futura bona rei huius criminis fisco vindicentur, vt quæ Reus post contractum perduellionis crimen adquisivit? Glossa & Dd. nostri quos refert, & sequitur Hieronymus Gigas in tract. de crimine læs. maiest. rubric. de pœnis committentium crimen læs. maiest. quęst. 7. vno quasi ore affirmant, quòd bona postea quæsita in confiscationem bonorum rei maiestatis non veniant.

Sed hanc Doctrinam esse erroneam existimo, tum quia Reus perduellionis heredem habere negatur, & ei solus fiscus succedit, siquidem etiam ejus mortui memoria damnetur, vt nec ex testamento heredem habere possit. l. vlt. ff. de leg. Iul. maiest. l. cum fili* 76 §. vlt. ff. de leg. 2. l. si quis 6. sed ne eorũ, ff. de injust. rupt. irrit. fact. test. tum quia & filius rei huius criminis perpetuò egens & pauper esse jubetur l. quisquis 5. §. filii. Cod. ad legem Juliam maiestat. Tum etiam, per text. in l. 2. C. de bonis proscriptor. vbi Alexand. Imperator deportati, ait, nec earum rerum, quas post pœnam irrogatam habuerint, heredem habere possint: sed & hæ publicabuntur. Et certè si deportati post damnationem non sibi, sed fisco adquirunt, dubium est nullũ, quin adquisita ante damnationem omnia ad fiscũ pertineant; multò magis ergò quæsita à Reo perduellionis ante damnationem fisci erunt, licet post contractum 40

crimen

crimen adquisita, cùm maius sit crimen perduellionis quàm illud, ob quod deportatione quis afficitur.

41 Non obstat, quo nituntur Dd. textus in l. si mandavero 22. §. is cuius ff. mandati, vbi Paulus Jurisconsultus publicatis, ait, bonis quicquid postea acquiritur, non sequitur fiscum. Est enim locus ille exaudiendus de eo, cuius bona publicata sunt salvo et integro statu, h. e. absq; capitis deminutione; veluti si relegatus sit publicatis per sententiam bonis. l. relegatus 14. in prin. ff. de interd & releg. l. deportatorum, 8. C. de pœnis, Cuiacius ad l. eius qui 8. fi. qui testam. facere poss. & lib. 6. obseruat. cap. 23. Quapropter cùm reus perduellionis ita damnetur, vt integrum non retineat statum suum, quippe cùm vltimo supplicio afficiatur, dici non potest, quòd eius bona futura non publicentur.

42 Et licet quis Dd. opinionem contrariam putet esse veram in casu, quo maiestatis Reus non vltimo plectitur supplicio, sed tantùm deportatione, quam veteri jure bonorum publicatio sequebatur, attamen & hoc casu eam à veritate alienam esse, liquet satis ex d. l. 2. C. de bonis proscriptor. Cui legi non obstat d. l. eius qui 8. §. 1. ff. qui testamenta facere possunt, vbi Caius Jurisconsultus de aquæ & ignis interdictione, in cuius locum deportatio successit, loquens, bona quoque

ait.

ait, quæ tunc habuit, cùm damnaretur, publicabuntur. Inde enim à contrario sensu non rectè colligimus, non publicare bona deportati post damnationẽ quęsita, † argumentum 43
enim à contrario sensu non procedit, quando contrarius ille sensus legi apertę resistit vt latè docet Everhardus in Topic. legal lib. in loco à contrario sensu, num. 4. 8. & 9.

Est præterea inter Dd. nostros acris con- 44
tentio de hac quæstione, an etiam publicetur feudum quod possidet Vasallus maiestatis Reus, cuius bona fisco vindicantur? Verissima autem eorum est sententia, qui id negant, & dicunt feudum vel ad dominum, vel ad agnatos feudi successores transire, pro natura scilicet feudi, & ratione culpæ cõmissæ, tùm qa hęc feudi causa est, vt id ex culpa amissum, vel ad dominum transeat, vel ad agnatos, tit. 24. §. denique, & tit. 37. in pr. lib. 2. feud. tùm quia † fiscus loco extranei successoris habe- 45
tur, l. 2. C. ad leg. Jul. de vi l. 1. C. de bonis libertor. l. eorum 9. ff. de leg. Jul. maiest. Extraneus autem successor ad feudum non admittitur tit. 45. lib. 2. feudor. Tùm † quia pu- 46
blicatis alicuius bonis, ad fiscum non pertinent ea condemnati bona, quæ jure singulari ad heredem vel alium transeunt, textus est in l. Statius 48. §. vltim. ff. de jur. fisci. l. Imperator. 12. ff. de libertat. Idque disertè traditum est in persona eius, qui perduellionis cõ-

demnatus est in l. 4. ff. de jur. patron. Tum etiā quia nominatim cautum est in c. felicis, § si qua verò feuda tit. de pœnis in 6. vt feudum ex crimine læsæ maiestatis amissum, ad ipsum dominum transeat; quamvis ibidem in præcedenti §. reliqua rei bona fisci dominio applicari jubeantur. Tum postremò quia in reis fractæ pacis publicæ constitutum est expressè, vt eorum feuda ad dominos transeant; quamvis cætera ipsorum bona cuivis occupanti relinquantur, textus est in ordinatione Cameræ Imperialis, part. 2. tit. 9. §. 2. versic. auch die Lehen. Atque hanc sententiam amplectuntur etiam post alios Hieronymus Gigas Tract. de crimine læsæ maiest. quæst. 5. Andreas Gail. lib. 2. de pace publica cap. 14. Hartman. Pistoris lib. 2. quæstionum jur. part. 1. quæst. 15. num. 7. & 8. & Andreas Fachineus lib. 7. controverſ. jur. cap. 20.

47 Volunt tamen Interpp. si feudum ex pacto etiam ad extraneos transeat heredes, publicatis ob delictum vasalli bonis, publicari & ipsum feudum, Bart. ad l. si finita 15. §. si de vectigalibus num. 3. ff. de damno in fect. Nevizanus consil. 68. num. 41. & Menoch. consil. 104. num. 30. & in tractatu de recuperanda possess. remed. 9. num. 252. atque hanc limitationem confirmant etiam ea, quæ tradit Hartmannus Pistoris dict. libr. 2. quæst. jur. quæst. 1. & quæst. 14. vbi de natura feudi hereditarii

reditarii

reditarii eleganter & longo stylo disserit.
Verùm hanc limitationem non agnoscit Fachinæus dict. libr. 7. controversiar. jur. cap. 20. §. sed vt liberè dicam: Ubi contra eam hoc vtitur argumento, quod feudum hereditariũ, licet in eo feudi naturam non habeat propriã, quòd ad extraneos quoq; heredes transit, in cæteris tamen suam naturam non amiserit, præsertim quantum ad causas, quibus amittitur, per text. in tit. 48. lib. 2. feud. Ubi Jurisconsultus feudista, licet, ait, propriam feudi naturam non habeat, jure tamen feudi cẽsebitur, vt ex his causis ipsum amittat, quibus & verum feudũ. At hæc Fachinæi ratio, hanc à Dd. traditam limitationem non evertit, quippe cum & fiscus sit sub genere & in numero extraneorum heredum d. l. eorum 9. ff. de leg. Jul. maiest. l. 2. C. ad leg. Jul. de vi. & l. 1. C. de bonis libertor. vt proinde hic casus diversus non sit; Ad hæc regula dict. tit. 48. lib. 2. feudor. pertinet tantum ad causas amittendi feudum, hîc verò agimus de feudi amissi translatione, quæ duæ quæstiones diversæ sunt, vt arguit textus in tit. 24. §. denique, & in tit. 37. lib. 2. feudor.

Est præterea & hæc perduellionis pœna 48 quædam, quò ad bona, quod etiam defuncto ipso perduellionis Reo, memoria ipsius damnatur. l. cùm filius 76. §. vltim. ff. de leg. 2. l. maiestatis 6. l. vltim. C. ad legem Jul.

maiestat. & §.interdum autem vers. per contrarium Inst. de hered. quæ ab intest. defer.

49 Damnare autem memoriam rei perduellionis est post illius etiã mortem bona eius à successorib. exacta per sententiam judicialẽ publicare, sive fisco vindicare, vti arguit l. vlt. ff. de leg. Jul. maiest. l. ex judiciorum 20. ff. de accusationib. l. meminisse 7. C. ad leg. Jul. maiest. quamvis Menochius consil. 99. num. 52. existimet, plus esse damnare memoriam defuncti, quàm eius bona publicare.

50 Porrò est & hęc perduellionis pœna, quòd filii eius qui perduellionis crimen commisit, neque in maternam, neque in avitam, neque in aliorum propinquorum hereditatem succedunt, nec quisquam ex testamentis extraneorum capere possunt.

51 Quin etiam infamia eos paterna semper comitatur, vt ad nullos honores, ad nulla sacramenta, admittantur: Et tales postremò sunt, vt ipsis perpetua egestate sordentibus mors solatium sit, & vita supplicium. text. est in dict. l. quisquis 5. §. filii verò C. ad leg. Jul. maiest. & in aurea bulla Caroli IV. Tit. Von der Bischoffe Segen in gegenwertigkeit eines Keysers.

52 Sed hanc pœnam abrogatam esse dispositione l. sancimus 22. C. de pœnis, existimat in Annotationibus suis Budæus, verba eius legis hæc sunt: sancimus ibi esse pœnam, vbi

& noxia est, propinquos, notos, familiares, procul à calumnia submovemus, quos Reos sceleris societas non facit. Nec enim affinitas vel amicitia nefarium crimen admittunt. Peccata igitur suos tenent authores, ne vlterius progrediatur metus, quàm reperiatur delictum.

Et quia hæc l. sancimus anno posterior est dict. leg. quisquis 5. C. ad leg. Jul. maiestat. eiusque verba maximè quò ad propinquos planè generalia sunt, veram quis inde putare posset Budæi opinionem: Siquidem constitutiones tempore posteriores, potiores sunt his, quæ ipsas præcesserunt. l. vlt. ff. de const. Principp.

Cæterum quia isthæc l. sancimus, eorundem est Impp. qui autores sunt d. l. quisquis Arcadii scilicet & Honorii: Hi autem nominatim non meminerint filiorum rei perduellionis, sed aliorum propinquorum, affinium & familiarium, minimè existimandum est, ad hos etiam filios eam dispositionem porrigendam esse. Quicquid enim nova lege specialiter expressum non est, id veterum legum, constitutionumque regulis relictum intelligi debet, l. præcipimus 32. §. vlt. C. de appellation. & cap. 1. Tit. de constitutionib. in 6. Et Posteriores leges eatenus prioribus derogant, quatenus ipsis omninò sunt contrariæ: alioqui posteriores ad priores perti-

nent. l. sed & posteriores 28. ff. de legib. Duarenus quoque libr. 2. Disputat. Anniversar. cap. 24. & Ioan. Robert. Aurel. lib. 2. sent. jur. cap. 21. & Anton. Cont. ad d. l. quisquis, cap. 2. contra Budæum negant revocari d. l. quisquis C. ad leg. Jul. maiestat. per d. l. sancimus 22. C. de pœnis.

54 At licet demus Budæo, citra tamen veritatis præjudicium, posteriori hac lege illam priorem Impp. Arcadii & Honorii sublatam esse, attamen in vsum revocata videtur dispositio prioris illius legis, vel per textum l. quando 10. in fin. C. de bonis proscriptor. vel per Caroli IV. sanctionem, quæ est in aurea bulla supra dict. tit. Von der Bischoffe Segen/ꝛc.

55 Ratio autem, cur ex hoc patris scelere filii quoq; plectantur, duplex adferri potest; vna, quod etiam in filiis paterni, id est, hereditarii criminis exempla metuuntur d. l. quisquis 5. §. 1. C. ad leg. Jul. maiest. & c. si gens distinct. 56. Altera est, vt charitas liberorum parentes ipsi Reipublic. amiciores reddat, & liberorum hæc calamitas parentes ab hoc nefando scelere imprimis deterreat, Cic. lib. 1. Epist. ad Brutum Epistol. 12. Menochius consil. 99. numer. 219. & sequent. Antonius Contius ad dict. leg. quisquis 5. C. ad leg. Jul. maiestat. cap. 2.

56 Sed quæritur, an hæc filiorum pœnæ etiam filiabus

filiabus rei perduellionis infligantur? Et certum est, quod ad paterna bona, vt quæ fisco vindicantur, non admittuntur. Maternam quod attinet hereditatem, ex hac capiunt tantùm falcidiam, sive legitimam d. l. quisquis 5. §. ad filias sanè C. ad legem Juliam maiestat. quæ legitima hodie est triens vel semis pro numero liberorum. Novell. 18. cap. 1.

Ratio autem cur legitima ex maternis bonis salva esse debeat filiabus, non etiam filiis hæc ab Impp. redditur, quod filiæ ob infirmitatem sexus minus sine ausuræ crimen hoc contrahere dict. l. quisquis 5. §. ad filias C. ad leg. Jul. maiestat. 57

Avitæ autem hereditatis, aut aliorum propinquorum, vel extraneorum successionis filias exortes esse, dicendum non est, tùm quia in dict. leg. quisquis 5. §. ad filias C. ad legem Juliam maiestatis, ab horum hereditatibus & successione non arcentur; tùm quia ibidem cùm à paterna & materna tantùm hereditate excludantur, verisimile est, ad aliorum omnium hereditates eas vocari; eò, quod exclusio vnius, sit inclusio alterius l. cùm Prætor 12. in princip. ff. de judic. l. maritus 21. C. de procuratoribus. Menochius post alios consil. 158. num. 29. 58

59 Proindeque & ab infamiæ illa pœna, quæ filiis ob paternum hoc crimen irrogatur, liberæ dicendæ sunt filiæ, Hieronymus Gigas in tract. de crim. læs. maiest. Rubric. de pœnis, quas filii incurrunt. quæst. 14. & Iul. Clarus libr. 5. sentent. §. læsæ maiestat. crimen numer. 10.

60 Vocatur in quæstionem & illud, an prædicta perduellionis pœna, quæ filiis Rei huius criminis irrogatur, locum etiam habeat in illis filiis, qui ante contractum hoc patris crimen sunt nati? Cynus, Petr. & Ang. in d. l. quisquis 5. C. hoc tit. id negant, eorumque opinionem, communem dicit Alciatus consil. 467. num. 7. & hanc amplectitur Jul. Clarus in d. §. læsæ maiestat. crimen num. 12. At plerique alii, quos recensent & sequuntur Hieronym. Gigas dict. Rubr. de pœnis, quas filii incurrunt quæst. 5. Ant. Gomez. Tom. 3. commentar. cap. 2. de crimine læs. maiestat. num. 16. Didacus Covarruv. lib. 2. variar. resolut. cap. 8. n. 5. vers. secundò pro Calderino, & Menoch. lib. 5. præsumpt. 38. num. 16. & Decian. Tract. crim. lib. 7. cap. 41. num. 8. contrariæ opinioni patrocinari non dubitant. Atq; hanc veritati consonam esse planè sentio.

61 Primò enim textus in d. l. quisquis 5. §. filii. C. ad leg. Jul. maiestat. generaliter & simpliciter de filiis loquitur, nec distinguit nati

sint

sint ante, vel post contractum hoc crimen: vbi autem lex non distinguit, nec nos distinguere debemus. l. de precio 18. ff. de public. in rem act. l. 1. §. generaliter 1. ff. de legat. præstand. Molineus tract. de vsur. quæstion. 52. num. 363. Et quod simpliciter dicitur, distinctionem non admittit l. 3. in fin. ff. de offic. præsid. l. 1. §. 3. vers. & est relatum ff. de aleatorib. Frider. Schenck à Tautenberg ad tit. 4. §. si quis de manso lib. 1. feudor, mihi pag. 24.

Deinde textus in ead. l. quisquis 5. §. filii C. h. tit. agit de filiis eius, qui hoc crimen admisit. Ergò inprimis de filiis jam natis, natis, inquam, tempore criminis contracti: quippe cùm ille potius filios habere dicatur, qui jam filios habet, quàm ille, cui in futurum nascentur filii.

Adhæc textus in eod. illo §. plurali vtitur numero, & ait: *filii, non filius*, sed tempus contracti huius criminis, & tempus irrogatæ patri pœnę, secundum naturę constitutum cursum plures filii haud potuerunt nasci ipsi patri si confestim post commissum hoc crimen accusatus, & damnatus sit. Intelligendus est itaque textus ille de omnibus filiis, etiam ante perpetratum hoc crimen natis.

Denique vtraque illa ratio suprà allata, ob quam prædictâ pœnâ filii tenentur, æquè militat in filiis ante admissum hoc crimen natis, quam in aliis filiis; maximè cùm omnis filius,

quo etiam tempore sit natus, portio sit visce-
rum paternorum: proindeq; jus idem in illis
quoq; filiis statutũ intelligi debet, cùm eadẽ
ratio idem jus poscat l. illud 32. v. cùm enim
ff. ad l. Aq. & l. à Titio 108. in fine pr. ff. de V.O.

62 Non tuetur priorem negatam opinionem
textus in l. Senator 11. C. de dignitatib. libr.
12. vbi Valens, Gratianus & Valentinianus
Imppp. rescripsisse videntur, filios Senatoris,
vel alterius cuiusdam clarissimi Viri natos
antequam pater susciperet eam dignitatem,
non esse filios Senatoris, vel clarissimi, sed
privatos, id est, plebeios. Non, inquam, tue-
tur hic textus contrariam negatam opinio-
63 nem. Cum † enim ex aliis locis abundè con-
stet, quod etiam Senatorum vel Decurio-
num filii sint ij, & paterno honore ac digni-
tate fruantur, qui ante eiusmodi patris di-
gnitatem suscepti sunt. l. Senatoris 5. ff. de
Senatorib. l. moris. 9. §. sed vtrùm. ff. de pœ-
nis & l. 2. §. in filiis ff. de decurionibus. Ic-
circò putandum non est, contrariũ ab Imppp.
dispositum esse in d. illa l. Senator 11. C. de di-
64 gnitatib. Proindeq́ue † primùm cum Dua-
reno lib. 2. disput. anniversar. cap. 29. respon-
deri ad hanc potest legẽ, quod in ea sit ὑπερ-
βατὸν sive turbatus quidam verborum ordo.
Verba enim hæc: *quod non solum circa mascu-
los dignoscitur constitutum, verùm etiam circa
filias simili conditione servandum*, in paren-
thesi

thesi ponẽda esse; quod cum sit, eius leg. sententia hęc est: Si Senator privatos susceperit filios nempe editos ante Senatoriam dignitatem, quamvis nõ videantur clarissimi esse, tamen quia durum est paternos honores filiis invidere, benigniore interpretatione inter clarissimos sunt referendi.

Deinde cum Cuiacio ex Codice Theodosij dici potest in d.l. Senator 11. C. de dignitatib. inter privatos .i. plebeios non numerari Senatoris filios editos antequam Pater susciperet eam dignitatẽ, quò ad glebale munus, non in omnibus. Glebale munus non agnoscunt filii Senatoris, ante eam dignitatẽ suscepti, verùm vt additur in extremo illius legis, honores eis, & pręmia clarissimorũ non invidentur.

Pacius verò cent.1. ἐναντιοφ. ad tit. de Senatorib. distinguit inter filium Senatoris, & filiũ natum ex Senatore: hunc dicit frui Senatoria paterna dignitate, illum nõ item, cum sit privatus homo & plebeius. At hæc Pacii interpretatio ferenda nõ est, tùm quia & Senatoris filius ante hanc patris dignitatẽ editus, gaudet hac dignitate patris d. l. 2. §. in filiis ff. de decurionib. & d. l. moris 9 §. sed vtrùm ff. de pœnis. Tum etiam, qui vt filius ex Senatore natus, sic & Senatoris filius particeps est paternæ dignitatis l. filiam Senatoris 9. ff. de Senatoribus. Tùm postremò quia frustra & sine effectu proposita esset sentẽtia d. l. 5. ff. d. t. de Sena-

Senatorib. si isthæc Pacii interpretatio vera fuerit.

Præterea non obstat conclusioni nostræ affirmatæ, textus in d. l. filiam 9. ff. de Senatorib. vbi habetur quòd delictum Senatoris non auferat filiis beneficium dignitatis, quæsitum ipsis à patre ante eius delictum, non, inquam, hoc obstat. Quòd enim filiis Rei perduellionis, vel quasi perduellionis etiam ante Patris hoc admissum editis aufertur jus succedendi in hereditatem aliorum & propinquorum & extraneorum; quòdque iidem exortes esse jubentur omnis dignitatis & honoris, id speciale est in hoc patris crimine. In toto autem jure nostro generi per speciem derogatur l. in toto jure 88. ff. de reg. jur.

Idem quoque respondendum est ad c. non imputantur. 1. quæst. 4. vbi dicitur, quòd filiis ea parentũ peccata non imputantur, quę post ipsorum nativitatem à parentibus committuntur. Tùm etiam ad l. 2. vers. filiis etiam, C. de libert. & eorum liber. vbi Constantinus Imp. rescribit, quod filiis parentum libertorum, ob delicta in servitutem revocatorum, non noceant ea parentum delicta, si tunc eos constiterit esse ortos dùm parentes libertate adhuc potirentur.

Denique nihil refragatur, quòd filius ex patre post eius à Senatu remotionem conceptus & natus, non gaudet dignitate patris

Sena-

Senatoria; natus verò ante factam patris remotionem, dignitatem Senatoriam per patrem quæsitam, retinet, l. emancipatum 7. §.1.ff.de senatorib. Nam priorem illum quod attinet casum ideò non fruitur filius Senatoria patris dignitate cum conceptus & natus sit, posteaquam à Senatu pater fuit remotus; quia non plus juris cum filio pater communicare potest, quam ipse habet. Alterum verò quod attinet casum, vbi filius ex patre Senatore natus, ante eius à Senatu remotionem, sibi dignitatem Senatoriam retinet, de eo priùs dictum fuit, quòd nimirum hoc exemplum ad subvertendam & excludendam decisionem nostram haud rectè adducatur; quippe cùm ex hoc, de quo agimus, patris crimine, etiam filii eius puniantur. Quod cùm contra tenorem rationis receptum videatur, juris est singularis l. in his 15. & l. seq. ff. de legibus.

Vocatur in dubium & illud, an si mater hoc facinus admiserit, etiam filii eius pœnas, quas dixi, sustinere jubeantur? Et certè primo intuitu cum quibusdam, quos refert & sequitur Gigas in Rubric. de pœnis, quas filii incurrunt, posse committi crimen læsæ maiestat. quæst. 17. hoc planè negandum videtur; tùm quòd pœnalia jura vtpote odiosa restringi, non extendi debent, c. odia Tit. de regul. jur. in 6. quodque in pœnalibus causis 65

beni-

benignior interpretatio facienda est, l. factũ 155. §. in pœnalib. ff. de regul. jur. & c. in pœnis eod. tit. in 6. tùm etiam quod d. l. quisquis 5. C. ad leg. Jul. maiestat. non modò expressè de maribus hoc crimen committentibus, non de fœminis loquitur, sed etiam nominatim in §. ad filias, ostendit, quod ob sexus infirmitatem fœminæ non audeant hoc scelus moliri.

At his rationibus nõ obstantibus affirmatæ conclusioni subscribendum judico. Nam Impp. dict. l. 5. ad leg. Jul. maiest. quisquis,
66 aiunt, cogitaverit. † Verbũ autem hoc, *quisquis*, tàm masculos, quàm fœminas complectitur, l. 1. ff. de verb. signif. Et pronunciatio sermonis in sexu masculino, ad vtrumque sexum plerunque porrigitur, l. pronunciatio 195. in princ. ff. d. t. Quin etiam semper sexus masculinus etiam fœmininum sexum continet, vt ait Julianus Jurisconsultus in l. qui duos 62. in fine ff. de legat. 3. His rationibus addimus quoque autoritatem gloss. ad d. l. quisquis 5. §. ad filias in verb. minus cursuras C. ad leg. Jul. maiest. & Julii Clari, ac aliorum, quos ille refert in dict. §. læsæ maiestat. crimen num. 13. vers. quæro etiam.

Non obsistit huic decisioni nostræ, quod in pœnalibus & odiosis extensio licita non est, quodqúe Impp. in dict. leg. quisquis C. ad legem Juliam maiestat. expressè de maribus,

bus, non etiam de fœminis nominatim loquuntur. Nam verbum illud *quisquis*, vt omne aliud verbum masculini sexus, non per extensionem, sed sua propria significatione tam fœminas, quàm mares complectitur, non tantùm in favorabilibus, dict. l. qui duos 62. in fin. ff. de legat. 3. sed etiam in odiosis, & pœnalibus l. si quis 7. in princip. junct. §. 1. ff. de jurisdiction. l. ait Divus 16. ff. de jure fisci. & l. qui domum 8. junct. l. mater 10. §. 1. ff. ad legem Juliam de adulter. & tradit latè ac eleganter contra alios Dominus Gœddæus ad dict. leg. 1. nu. 22. & seqq. tùm etiam num. 53. & seqq. ff. de verb. signif.

Deinde non refragatur quod Impp. in d. leg. quisquis 5. §. ad filias, Cod. ad legem Juliam maiestat. aiunt, quòd fœminæ propter sexus infirmitatem minus ausuræ sint hoc contrahere crimen, quàm masculi. Hinc enim non sequitur, quod si fœmina quædam hoc suscipere scelus audeat, eius filii hanc non sustineant pœnam. Et licet jura, quando constituuntur, ad ea potius referuntur, quæ frequenter & facilè, quàm quæ perrarò eveniunt l. 3. 4. & 5. ff. de legib. attamen ad ea etiam, quæ rarò accidunt, cùm evenerunt, æquè porriguntur, vt evincitur ex l. si maior 12. C. de legit. heredit. l. 3. §. quid est ergò ff. si pars hereditatis petatur. l. sed etsi restituatur 28. §. si paterfamiliâs ff. de iudiciis.

Porrò

68 Porrò disceptant Dd. nostri de hac etiam quęstione; an sicuti filii, ita etiam nepotes rei perduellionis has, de quibus dixi, ob crimen avitum pœnas sustineant? Arbitror autem cum Bartolo in l. liberorum 2. num. 6. ff. de verbor. signific. & in l. patri 20. ff. ad leg. Jul. de adulteriis. Item cum Angelo in d. l. quisquis 5. num. 6. C. ad leg. Jul. maiest. & Ioan. Andrea ad c. in quibusdam ext. de pœnis ad negatam decurrere sententiam satius esse, eò quod d. l. quisquis 5. §. filii verò, C. ad leg. Jul. maiestat. de filiis tantùm loquitur, non etiam de nepotibus Rei perduellionis. Quocirca cùm dispositionem contineat pœnalem; & pœnalia atque odiosa restringenda sint, non extendenda vt antea ostendi, certè dispositio illa strictè de filiis tantùm non etjam de nepotibus exaudiri debet; siquidem filii appellatione propria nepotes non contineantur, §. quod si nepotes. vers. cæterùm. Inst. qui testam. tutores dar. poss. & l. quod si nepotes 6. ff. de testam. tutel.

Plerique tamen Interpp. alii in affirmata opinione acquiescendum putant, quos refert & sequitur Jul. Clarus lib. 5. sententiar. in §. læsæ maiestatis crimen num. 13. Sed his nihil suffragatur text. in l. filii. 84. ff. de verb. signif. vbi Paulus Jurisconsultus Filii ait, appellatione omnes liberos intelligimus. Nam ex sola eáque justa interpretatione, & extensione

ſione quadam non propriè filii appellatione etiam nepotes quandoque continentur l. iuſta interpretatione 201. ff. de verbor. ſignif. Gœddæus ad dict. l. filii appellatione 84. ff. eodem titulo.

Scribunt tamen poſt alios Gigas in tract. de crim. læſ. maieſt. Rubric. de pœnis, quas filii incurrunt, patre committente crimen læſ. maieſtat. quæſt. 8. Didac. Covarruv. lib. 2. variar. reſolut. cap. 8. num. 2. & Gomez. Tomo 3. cap. 2. num. 15. ex Frideric. Imperatoris conſtitutione quadam, hanc pœnam etiam ad nepotes Rei huius criminis extẽdi.

Sed adhuc multùm patrocinari videtur affirmatæ Interpp. concluſioni textus in cap. ſtatutum, tit. de hæretic. in 6. vbi etiam nepotes hæreticorum ab Eccleſiaſticis, & publicis officiis arcentur. Verùm nihil moror eum locum; quippe cùm hîc agamus de jure ſuccedendi in hereditatem propinquorum, & extraneorum, item de pœna infamiæ, non etiam de beneficiis Eccleſiaſticis, aliiſque officiis. Et quia caput illud nominatim de nepotibus hęreticorum agit, non rectè extenditur ad nepotes Reorum maieſtatis humanæ, cùm hæreſis maius ſit maleficium, quàm maieſtatis humanæ crimen l. 4. §. in mortem, & auth. Gazaros C. de hæret. & Manich.

Denique probari etiam adverſa videtur ſententia per text. in c. felicis, §. quod ſi quis

prædictorum, tit. de pœnis in 6. vbi non tantùm filii, sed etiam nepotes Rei maiestatis ita infamiâ notati dicuntur, vt nulla eis, ne quidem ex dispensatione janua dignitatis, & honoris Ecclesiastici, vel mundani pateat, eisque postulandi negata sit facultas, & assertio sive testimonium eorum in judiciis nihil fidei, nihil credulitatis contra quemquã inveniat. At sciendum est, quod & supra monui, hunc locum non de omni maiestatis Reo tractare, sed de eo tantùm, qui perduellionis crimen in persona Cardinalis Romanæ Ecclesiæ commisit; vt proinde cum pœnalem dispositionem contineat, ad quodvis aliud perduellionis crimen haud temerè extendi debeat. Et quamvis hoc capitulum ex avito hoc crimine etiam nepotes jubeat esse infames, attamen à propinquorum & extraneorum hereditate eos esse alienos non præcipit.

69 Nunc & illud in quæstionem vocari potest, an vt liberi, sic & vxor Rei perduellionis incommodum aliquod ex hoc mariti facinore sentiat? Sed hæc quæstio decisa est ab ipsis Impp. Arcadio & Honorio in d. l. quisquis 5. §. vxores sanè, C. ad legem Jul. maiest. vbi cautum, vt vxores dotem suam recipiant, & salvam habeant. Sed quia Impp. duntaxat de dote loquuntur, & dos mulierum singulari privilegio multis in casibus munita sit,

sit, non immeritò de aliis vxoris bonis dubitare quis posset, an scilicet ea similiter vxor salva habeat; vel patrimonio fisci addicantur? Verùm quia aliis legibus generaliter dispositum est, ne vxores ob maritorum culpam inquietentur l. 2. & toto tit. C. ne vxor pro marito, ne quidem à fisco l. 1. C. de privileg. fisci; atque hoc jus in casu quo maritus perduellionis Reus factus est specialiter non sit abrogatum per d. l. quisquis 5. C. ad leg. Jul. maiestat. iccirco eius vigorem vsui relictum esse putandum est, per regulam in l. præcipimus 32. §. vlt. C. de appellationib.

Si quam tamen propter nuptias donationem contulisset maritus in vxorem suam, hac conditione, vt res illæ donatæ filiis mariti reserventur, atque ita ipsa vxor vsumfructum duntaxat earum rerum habeat, quandiu vivit mulier, vtitur fruitur ea donatione, at quando de vita decedit, donatio ea non filiis, sed fisco cedit: Filiabus tamen falcidia inde relinquitur d. l. quisquis 5. §. vxores sanè C. ad leg. Jul. maiest.

Potest hoc loco & ea hìc moveri quæstio, 70 an filio perduellionis crimen committente, aliquam pœnam pater eius ob id sustineat? Certum quidem est, quod pater ad filii hujus successionem non admittatur, quippe cùm filii bona fisco vindicentur, sed dubium videri potest, an pater non succedat in

propinquorum suorum, vel extraneorum hereditatem; Item an infamiam ex eo filii crimine subeat? Et licet hoc affirmandum videatur, eò quòd pater & filius sunt relata, vt quod in filiis dispositum est, id etiam in patre cautum censeri debeat, cùm dispositum in vno relatorum, videatur etiam statutum in altero per text. in l. vltim. C. de indict. viduit. tollend. & in l. vltim. ff. de acceptilat. Veruntamen in sententiam contrariam communiter Dd. nostri decurrerunt, quos refert & sequitur Gigas dict. Rubric. de pœn. quas filii incurrunt, quæst. 22. eaque & mihi verior videtur, tùm quòd in causis pœnalibus benignior interpretatio facienda est, l. in factum 155. §. in pœnis ff. de regul. jur. & l. penult. ff. de pœnis, tùm quòd dispositio dict. l. quisquis 5. §. filii verò C. ad legem Iul. maiestat. non modò est nova, sed & talis, quæ alii juris dispositioni est contraria l. sancimus 22. C. de pœnis, vt proinde strictè accipi debeat, de his tantùm personis, de quibus nominatim loquitur per text. in cap. 1. tit. de constitutionib. in 6. & in d. l. præcipimus 32. §. vlt. ff. de appellat.

Neque obstat huic conclusioni quòd dispositum in vno relativorum, dispositum etiam videatur in altero. Hæc enim definitio procedit vt alibi, sic etiam in pœnalibus: verùm si eadem subsit ratio, secus si diversa ratio in

tio in altero relatorum appareat, vt docet Ioan. à Reberteria lib. 2. Topic. juris cap. 12. & Everhardus in Topic. legalibus in loco à correlativis, num. 9. Sed hic in patre cessat ratio, quam Impp. in filiis spectârunt in d. l. quisquis 5. §. Filii verò C. ad legem Juliam maiestat.

FiliisReorum perduellionis ideo denegatur jus succedendi in hereditatem avitam, propinquorum & extraneorum; Ideo item infamiæ macula ipsis aspergitur, quia hereditarii, id est, paterni criminis exempla in illis metuuntur, siquidem sint portio viscerum paternorum, & ex sanguine paterno progeniti. Sed hæc ratio cessat, vt dixi, in patre, cuius filius perduellionis crimen commisit. Non enim pater ex filii vitioso tali sanguine natus est, quapropter meritò etiam cessare debet, dispositio d. l. quisquis 5. §. filii verò C. ad leg. Jul. maiestat. Similiter cessat in patre altera etiam illa ratio, cur filii etiam ob patris hoc crimen pœnā, quam dixi, sustinere jubentur; quæ ratio est, vt charitas liberorum parentes Reipubl. amiciores reddat. Chari quidem sunt & esse deben... [illegible] liberis ipsi parentes; Verùm parentibus liberi multò chariores sunt; quippe † cùm amor 71
à parentibus in liberos naturaliter magis descendere, quàm ad illos ab his descendere dicatur. l. isti quidem 8. §. vlt. ff. quod metus

causa. gloss.& Dd. ad l.liberi 28. C. de inoffic. testamento. Ferd. Vasquius lib. 2. de success. progress. §. 17. num. 64.

72 Cæterum quia filii, filiæque Reorum perduellionis ab hereditate etiã materna; item filii ab avita & propinquorum legitima, & extraneorum testamentaria successione excluduntur, haud ineptè hoc loco in quæstionem vocatur, vtrùm hereditas illa materna, avita, propinquorum & extraneorum fisco cedat, an verò alii successores legitimi, vel testamentarii ad eam admittantur? Et quamvis Cynus, Albericus, & distinguendo Salycetus ad d. l. Quisquis. 5. §. filii verò, C. ad leg. Jul. maiest. existiment hereditatem illam fisco inferendam esse: Attamen contraria sententia vt æquior, ita verior censeri debet.

73 Quando enim alicui, vt indigno, indigno, inquam, non per se, & ex proprio delicto, sed propter alium, hereditas aufertur, tum hereditas ea non fisco, sed aliis successoribus relinquitur, arg. l. aufertur 46. in princ. vbi Bartol. & Dd. communiter id notant, ff. de jure fisci. Quocirca cum filiis & filiabus Rei perduellionis etiam materna, ac filiis avita quoq;, item propinquorum, & extraneorum hereditas aufertur, vt indignis, non per se, sed propter parentem, perduellionis Reum, certè hereditas illa nõ fisco vindicanda, sed aliis successoribus legitimis, vel testamentariis adjudicanda erit.

Acce-

Accedit hûc, quod hereditas, de qua agimus, nulla expressa lege fisco applicatur, vt proinde id fieri debere, putandum non sit, eam in dubio fisci commodo & patrimonio cedere, per textum in l. Non puto 10. ff. de jure fisci, junct. l. Illum 19. ibi, eò quod nulla constitutio. C. de collat. & l. 5. ff. de probat.

Juvat eandem hanc sententiam, quod ea, 74 quæ in testamento pro non scriptis habentur, in fiscum non recidunt, l. vn. §. In primo, C. de caducis tollend. Sed relicta filiis Rei perduellionis pro non scriptis habentur, siquidem hi filii incapaces dicantur hereditatis etiam extraneorum, d. l. quisquis, ff. filii verò, ibi, testamentis extraneorum nihil capiant, C. ad leg. Jul. maiestat. Unde sequitur, quòd relicta filiis Rei perduellionis, fisco non cedant.

Deniq; hanc nostram sententiam post alios amplectitur quoq; Ant. Gomez. Tom. 3. Cōmentar. jur. cap. 2. de crim. læs. maiest. n. 14.

Non obstat, quod hereditas, quæ alicui, vt indigno aufertur, fisco vindicatur, l. Lucius 9. ff. de jure fisci, & tot. tit. ff. & Cod. de his, quibus vt indignis, & l. Papinianus 8. §. meminisse, ff. de inoff. testam. Hæc enim definitio, vt supra dixi, procedit in his, qui per se, non alterius vitio indigni censentur. Et potius incapaces, quam indigni sunt dicendi perduellium filii, vt modo ostendi.

Eſt & illud hoc loco notandum, quòd infamiæ nota illis etiam inuritur, qui pro Reis perduellionis intervenire apud Cæſaream maieſtatem tentaverint, text. eſt. in d. l. quiſquis 5. §. Denique C. ad leg. Jul. maieſt.

76 Hactenus de pœna perduellionis: Nunc de ea dicemus pœna, quæ ex crimine quaſi perduellionis pervenit. Quaſi perduellionis crimen ſimiliter vel ipſum Reum pœnæ obnoxium facit, vel etiam quoſdam alios.

Ipſe Reus quaſi perduellionis duplici quoque afficitur pœna, corporis & bonorum.

Corporis illa pœna jure Juſtinianéo ex Arcadii & Honorii ſanctione, eſt pœna gladii, quo Reus quaſi perduellionis feriri jubetur, dict. leg. quiſquis 5. in fin. principii, C. ad leg. Jul. maieſtat.

Sed Carolino iure etiam hic reus in quatuor partes diſcindendus videtur; prius tamen ignitis forcipibus laceratus, aut in locum ſupplicii per plateas raptus, Peinliche Halsgerichts Ordnung / articul. 124. Atque iſthæc diſſectionis pœna ex conſuetudine in ipſum converti oſtendit Jul. Clar. lib. 5. ſentent. §. læſæ maieſtatis crimen, num. 8. & Damhouder. in praxi rerum criminal. cap. 62. num. 6.

Pœna bonorum eſt amiſſio omnis ſubſtantiæ, quæ tota fiſco addicitur, d. l. quiſquis 5. in fin. principii, C. ad leg. Jul. maieſt. & ita

ſcribunt

ſcribunt communiter Dd. quos refert & ſequitur Menoch. conſil. 99. num. 41.

Non deſunt tamen, qui autumant, hoc in caſu nō fieri bonorum publicationem, quos refert & refutat Menoch. dict. conſil. 99. num. 52. & ſeqq. 77

Sed quæſtionis eſt, an cum allodio etiam emphytevſis (de feudo ſupra egi) fiſco vindicetur? Diſtinguendum hic eſt inter privatam emphytevſin, & emphytevſin Eccleſiaſticam. Privata emphytevſis, ſimpliciter conſtituta, ad omnes etiam extraneos tranſit heredes, vt docet poſt alios Julius Clar. in §. Emphytevſis, quæſt. 28. num. 1. Donel. lib. 9. Commentar. cap. 13. pag. 446. verſ. finis conſtituendi, Ioan. Borcholt in Commentariis in vſus feudor. cap. 3. nu. 14. Quia ergo fiſcus loco extranei heredis eſt, l. Eorum 9. ff. de leg. Jul. maieſt. l. 2. C. ad leg. Jul. de vi publica vel privata, & l. 1. C. de bonis libertor. certè in confiſcationem bonorum Rei maieſtatis, venit etiam Emphytevſis privata, vt docet etiam Hieronym. Gigas in Tractat. de crimine læſæ maieſt. quæſt. 6. nu. 7. 78

Quod attinet Emphytevſin Eccleſiaſticam, illa eatenus in confiſcationem bonorum venit, quatenus & illa fuerit perpetua. Regulariter quidem hæc Emphytevſis perpetua non eſt; ſed ad ſolos tantùm deſcendentes heredes tranſit, & quidem non tan- 79

tùm ad tertiam vſque generationem, vt voluerunt Didac. Covarruv. lib. 2. variar. reſolut. cap. 17. num. 5. & 6. verſ. Quinta concluſio, & Menoch. lib. 3. præſumpt. part. 1. præſumpt. 109. nu. 15. ſed ad alios etiam in infinitum, per text. in Novell. 120. cap. 6. §. Licentiam. & tradit Jul. Clar. dict. quæſt. 28. nu. 1. & Iohan. Borcholt. d. cap. 3. nu. 14.

80 Ad extraneos autem heredes non tranſit. At quia pacto effici poteſt, vt hæc etiam emphytevſis ad extraneos quoque heredes pertineat, per text. in Novell. 120. cap. 6. §. licentiam, & Novell. 55. cap. 2. & in c. 1. & 2. Tit. 4. lib. 3. Clementinar. & c. ad aures, extr. de rebus Eccleſiæ alienandis, vel non; & docent Didac. Covarr. dict. lib. 2. variar. reſolut. cap. 17. num. 5. Jul. Clar. in dict. §. Emphytevſis, quæſt. 28. num. 9. & Ioan. Borcholt. de feudis

81 cap. 3. nu. 17. † Et fiſcus loco extranei heredis ſit, vt antea oſtendi, certè hoc caſu etiam Eccleſiaſtica Emphytevſis in confiſcationem bonorum venit. Atque ita poſt alios ſentit etiam Hier. Gigas in Tractat. de crimine læſæ maieſtatis, Rub. de pœnis comment. crimen læſæ maieſt. quæſt. 6. num. 4. Boſſius Tit. de bonor. publicatione, num. 60. & Andr. Fachinæus lib. 9. controverſ. jur. cap. 53.

Contrariæ autem opinioni inhæret Jul. Clar. lib. 4. ſententiar. §. Emphytevſis, quæſt. 29. verſ. Breviter ſi Emphytevſis; vbi hanc con-

contrariam opinionem dicit esse tutiorem, æquiorem, & magis communem.

Argumenta ipsius hæc sunt; Primum est, quòd Ecclesiæ conditio hinc efficeretur deterior; eò quod potentior est fiscus, quàm privatus, non modò ob difficultatem conveniẽdi, sed & propter sua privilegia; quodque nulla ferè spes foret, vt reverteretur ad Ecclesiam Emphytevsis, cum Ecclesia nunquam moriatur.

Alterum argumentum est, ꝙ verisimile non sit, eam fuisse voluntatem Ecclesiæ, vt res in Emphytevsin concessa, ad fiscum transiret.

At tanti hæc argumenta momenti nõ sunt, vt ad infringẽdam priorem illam sententiam jure adferri possint. Primum enim quod attinet argumentum, nulla certè injuria, nulla injustitia in fisco præsumi debet, eò quod res fisci, quasi res Cæsaris esse dicuntur, l.2. §.2.ff. ne quid in loco publico, & l.3.C.de quadriẽnii præscript. qui Cæsar vllius iniquitatis argui minimè debet. Et fiscus cõventu difficilis dici non potest; siquidem fiscus, nisi nominatim aliud cautum sit, jure privatorũ vtatur, l.fiscus 5.in princ. l.Non puto 10.& l. seq. l. In summa, 17.ff.de jure fisci. Et fiscus facili⁹ Canonem pręstare potest, quàm privatus; siquidem semper sit solvendo, l. 2.ff.de fundo dotali, l.1.§.si ad fiscum, ff.vt legat.seu fideicom. servand.causa caveatur. Et quamvis hęc per-

petua

petua Emphytevsis ad fiscum non transiret, attamen non reverteretur ad Ecclesiæ patrimonium, siquidem ad extraneos etiam heredes pertineret.

Ad alterum Julii Clari argumentum similiter per inficiationem responderi potest. Cùm enim prælatus Ecclesiæ Emphytevsin Ecclesiasticam in perpetuum concesserit, ita vt etiam ad extraneos transiret heredes, certè verisimile est, quod hoc etiam animo eam concesserit, vt ad fiscum quoque transiret, quippe cum & fiscus loco sit heredum extraneorum, vt supra ostendi: & in contrahendo pro cauto etiam habeatur, quòd tacitè agitur, id est, quòd ipsi contractui ex natura eius inest, l. 3. vbi Doctores, ff. de rebus creditis.

82 Cùm itaque Emphytevsis etiam Ecclesiastica, in perpetuum concessa, confiscationi obnoxia sit, vlterius quæri potest, an Ecclesia intra biennium à fisco repetere eam possit? Julius Clarus quidem ita sentit in dict. §. Emphytevsis, quæst. 29. in fin. vbi scribit, licet verior esset eorum opinio, qui volunt, quòd Emphytevsis Ecclesiastica perpetua in confiscationem bonorum quoq; veniat; dubitandum tamen non esse, quin Ecclesia possit intra biennium hanc Emphytevsin à fisco repetere, si velit.

Verùm enimverò hæc Julii Clari opinio

erroris

erroris plena est. Quod enim alicui jure adquisitum est, id ei invito & sine ipsius facto adimi non potest, l. Id quod nostrum 11. & l. omnes actiones, §. vltim. ff. de reg. jur. Neque tuetur hoc Clari pronunciatum textus in Novel. 120. cap. 1. §. si verò contigerit, &c. tum quia locus ille, vt & Cuiac. ibidem tradit, est de maiori Constantinopolitana Ecclesia, aliisqúe religiosis collegiis, quæ sunt infra eam vrbem, quibus hoc singulare privilegium tributum est, vt intra biennium à fisco, aut civitate, cui Emphytevsin concesserunt, revocare possint; tùm quia isthęc Novella agit de Emphytevsis repetitione, quæ fieri debet intra biennium à tempore concessionis numerandum, non de ea revocatione, quæ post confiscationem fieri debeat. Quapropter cum speciale jus contineat, in destructionem juris veteris allegari & trahi non potest, per regulam l. Præcipimus 32. §. vltim. C. de appellat. & c. 1. Tit. de constitutionib. in 6.

Porrò hoc loco & illud quærere quis posset; salvamné liberi habeant legitimam suam, quum patris Rei perduellionis bona publicantur, & fisco inferuntur? Et certè non desunt argumenta, quæ id magnopere suadere videntur. Primò enim licet testamentariæ voluntatis liber sit stylus, & licitum, quod iterum non redit arbitrium, l. 1. C. de 85

Sacro-

Sacrosanct. Eccles. attamen pater suo testamento neq; tollere, neq; minuere, neq; onerare legitimam liberorum potest, l. omnimodo 30. l. si quando 35. C. de inoff. test. Novel. 18. cap. 1. l. Hac edictali 6. in princ. vers. sin autem non æquis, ibi, vt quarta pars, quæ eisdem liberis debetur ex legibus, nullo modo minuatur, nisi de his causis, quę de inofficioso excluduntur querelam, Codic. de secundis nuptiis. Ergò parens nec suo crimine præjudicare liberis posse videtur in eorum legitima.

85 Deinde legitima liberis debetur jure naturæ. Novell. 1. in princ. §. primus itaque, ibi secundum ipsam naturam eis debeatur, l. scimus, 36. §. Illud prætcrea, ibi, ne per huiusmodi tramitem filius defraudetur debito naturali; C. de inoffic. testam. & Auth. hoc amplius, C. de fideicommiss. Sed juris naturalis quæ sunt, ea ne lege quidem civili tolli, sive corrumpi possunt, §. vltim. Institut. de legit. agnat. tutel.

86 Adhæc liberorum legitima pacto tolli non potest, l. si quando 35. §. & generaliter, C. de inoffic. testament. Quod autem pacto fieri non potest, nec lege fieri poterit, argumento l. Jus agnationis 34. ff. de pactis. l. vltim. C. de rebus alien. non alienand. l. vltim. C. de fideiussorib. Everhard. in Topicis legalib. in loco à pacto ad legem &c. n. 10.

Denique

Deniq; legitima est quoddam liberorum 87
debitum, dict. Novell. 1. in princ. §. primum
itaque, & d.l. scimus, §. illud, C. de inoffic.
testam. † Sed in cõfiscatione bonorum debi- 88
ta prius solvuntur, & quod reliquum est fi-
sco relinquitur, l. Non possunt, 11. l. in sum-
ma 17. & l. quod placuit 37. ff. de jure fisci,
vnde & liberis hoc etiam casu legitima ser-
vanda videtur.

Sed nihil his argumentis obstantibus, au- 89
tumo, in confiscatione bonorum parentis
Rei perduellionis, vel quasi perduellionis,
legitimam liberis non manere salvam. Nam
primò Impp. Arcad. & Honor. in d. l. Quis-
quis in fine princip. C. ad leg. Jul. maiestat.
bonis; aiunt, *eius omnibus fisco nostro addictis.*
Ecce omnia bona Rei perduellionis, vel
quasi perduellionis fisco addicuntur, vn-
de sequitur, quod inde legitima liberis non
servetur.

Deinde vivo parente liberis legitima non 90
debetur ex eius bonis, per text. in l. 1. §. si im-
pubere, 21. ibi, præmatura est enim spes col-
lationis; cum adhuc vivat is, cuius de bonis
quarta debetur, ff. de collatione bonorum
Claudius de Battandier. in Tractat. de pa-
rentibus & fratribus cap. 8. num. 11. Mynsin-
gerus cent. 4. observation. 25. Unde si pa-
rens nulla habeat bona quando moritur, li-
beris nulla etiam legitima assignari potest.

Sed

Sed vivo adhuc parente Reo perduellionis, vel quasi perduellionis, bona eius omnia ante quidem condemnationem ita fisco sunt obligata, vt nihil inde alienari possit, sicuti supra ostendi, & post sententiam condemnatoriam ipsius confestim dominium totius substantiæ fisco cedit, etiamsi ipse parens adhuc vivat, & nondum morte sit mulctatus, dict. leg. quisquis, 5. in fin. princip. ibi, gladio feriatur bonis eius omnibus fisco nostro addictis. C. ad legem Iuliam maiestat. l. Quæsitum, 15. in princ. ff. qui & à quibus manumissi. Inde ergo sequitur, quod ex bonis parentis Rei perduellionis, vel quasi perduellionis, legitima liberis non competat.

Denique filiis Rei perduellionis, vel quasi perduellionis, ne quidem ex matris hereditate debetur legitima, siquidem filiabus tantum inde legitima relinquatur, dict. l. quisquis, 5. §. ad filias sanè, C. ad legem Iuliam maiestat. Multò minus ergo ex patris substantia eis legitima servatur, vt nec ipsis filiabus, quibus tantum, vt dixi, ex matris hereditate legitima competit. Inclusio enim vnius, est exclusio alterius, l. cum Prætor 12. in princ. ff. de judic. l. Maritus 21. C. de procurator. Menoch. consil. 158. num. 29. lib. 2. & concessio vnius, est privatio alterius, l. Ex eo, 18. ff. de testib. l. 1. in princip. vers. Huius rei, ff. de offic. eius cui mandat. est jurisdict.

l.qui

l. qui testamento 20. §. Eum, ff. qui testam. facere poss. Atque hanc conclusionem quam tuemur probat quoque Cuiac. lib. 6. observ. cap. 23.

91 Non obstant argumenta pro sententia cōtraria prius adducta. Primum enim quod attinet argumentum ab vltima voluntate ad delictum, nullam certè arguendi vim in proposito assignare ei possumus; quippe cum alia sit ratio vltimæ voluntatis, alia item delicti. Illa testatorem non obligat, hoc obligat delinquentem. Testamentum solenne est; delictum, verò nullam solennitatem desiderat. Hoc jure vetitum est, illud lege permissum.

92 Secundum quoque argumentum ideo nihil officit nostræ sententiæ, quod legitima haud propriè dicitur jure naturę deberi, tum quia legitima dicitur, vt proinde lege, non natura deberi meritò dicatur: tum quia lex civilis legitimam decernit, & definit, l. lege, 14. C. de legit. hered. Novell. 1. in princ. §. 2. ibi, necessitatem imponit lex, & Novell. 18. in princ. & cap. 1. tum etiam quia debetur legitima non tantùm naturalibus, sed etiam adoptivis liberis, l. Adversus, 30. ff. de inoff. testam. tùm postremò, quia parentibus etiam ex bonis liberorum legitima debetur, ea tamen juris naturæ non est; l. Nam etsi parentibus, 15. in princip. ff. de inoffic. testament.

l. Scripto 7. §. vlt. ff. si tabulæ testamenti nullæ extabunt.

93 Quod autem legitima dicitur debitum naturale, id non eo accipi sensu debet, quasi ipsa natura sit causa legitimæ, sed quod ratio naturalis suadeat, vt ex parentum bonis liberi quid capiant, d. l. scripto, 7. §. vlt. ff. si tabulæ testament. nullæ extabunt, l. cum ratio naturalis, 7. in princip. ff. de bonis damnator. Aliud autem est ipsa natura, aliud ratio naturalis, vt arguit textus in titul. Institution. de jur. natural. gent. & civili, in princ. & §. quod verò naturalis ratio, & l. 1. §. Jus naturale, junct. l. omnes. 9. vers. Quod verò, ff. de just. & jur.

94 Et licet naturali ratione parentum hereditas liberis debeatur, lege tamen effici potest, ne liberis parentum hereditas obveniat, vt videre licet in hoc perduellionis, & quasi perduellionis crimine, ex d. l. Quisquis, 5. §. 1. C. ad leg. Jul. maiest.

95 Tertium argumentum negatione, & inficiatione reiici debet. Nam maior est vis & potestas legis, quam pacti. Lege adquiritur dominium, l. 1. §. vltim. & l. seq. ff. de publ. in rem action. pacto autem non adquiritur, l. traditionibus 20. C. de pactis, lege hereditas defertur, l. Si curatoris, 9. C. de jure deliberandi, l. 1 ff. de hered. petit. pacto non defertur hereditas, l. hereditas, 5. C. de pact. conventis.

lege

lege agnatio adquiritur, pacto non item d. l. Jus agnationis 34. ff. de pact. juncta l. Nihil tam naturale, ff. de reg. jur. Non mirum itaque quod legitima lege tolli potest; pacto autem non potest. Et patet hinc, licet quandoq; pacto quid fieri non potest, nec lege fieri possit, id tamen perpetuum non esse, vt ostendit quoque Everhard. in Topicis legalibus, in loco à pacto, ad legem, num. 10.

Sed an statuto, vel consuetudine tolli vel 96
minui saltem possit legitima vide Mynſ. cent. 5. obſerv. 43. & cent. 6. obſ. 44. & Andr. Geyl. lib. 1. obſervat practicar. obſerv. 122.

Postremùm quod attinet argumentũ, differentia hic constituenda est inter debitum legitimæ, & quodvis aliud debitum. Nam legitima non propriè, & verè debetur filio, vt alii creditori suum debetur: quippe cum legitima passim in jure † nostro ipsi filio qua- 97
si deberi dicatur, l. 1. §. largius, ibi, qui pœnè ad propria bona veniunt, ff. de succeſſ. edict. l. 1. §. si impubere, ff. de collat. bon. Unde etiã separatur ab ęre alieno quarta liberorum, in l. Papinianus, 8. §. quarta autem accipitur, ff. de inoffic. testam. nec immeritò: cum legitima tantum lege debeatur, aliud verò æs alienum & beneficio legis, & hominis facto, puta contractu, vel qua alia causa.

Non desunt tamen qui putant legitimam liberis manere salvam, cum patris Rei per-

duellionis, vel quasi perduellionis bona publicantur, quos refert & sequitur Claudius de Battandier in dict. tract. de legitima, cap. 13. num. 40. & 42.

98 Expeditæ jam quæstioni proxima est illa, an condemnato perduellionis, vel quasi perduellionis filio, pater eius legitimam fisco dare teneatur? Magis autem est, vt negatæ conclusioni calculum nostrũ addamus, quippe cum vivo patre legitima liberis non debeatur, d. l. 1. §. si impubere 21. ff. de collat. bon. & facit argumentum l. si qua pœna, 7. ff. de his, qui sui vel alieni jur. sunt, & l. Etsi condemnatus, 35. ff. de noxalib. actionib.

Aliis quoque argumentis propositæ quæstionis conclusionem munire conatur Hier. Gigas in dict. Tract. de crimine læsæ maiest. Rubr. de pœnis committ. crimen læsæ maiest. quæst. 9. Verùm illa juris dubii sunt, & minimè certi, vt vim arguendi nullam habere videantur.

99 Neque obstat quod Paul. Jurisconsultus in l. In suis, ff. de liberis, & postumis, scribit, quod liberi etiam vivo patre quodammodo domini paternorum bonorum existimãtur. Ait enim existimantur, & ait, quodammodo existimantur domini, vnde liquet, quod verè domini non sunt vivo patre. Ideo autem existimantur quodammodo domini, qui spes est eos aliquando fore dominos, mortuo

tuo scilicet patre. Mynsingerus cent. 4. observat. 25.

Sed vlterius jam quæri hoc loco potest, an patre mortuo, ex eius bonis legitimam filii Rei perduellionis exigere fiscus possit? Speculator & Martinus Laudensis id rectè negant, quos refert & sequitur Gigas dict. tract. Rubric. eadem, quæst. 18. Argumentum tamen quo id probant, hanc sententiam non tuetur. Quod enim aiunt, bona Rei futura, & post quæsita non confiscari, à veritate alienum est, vt supra eodem hoc capite ostendi. 100

Ratio autem prædictæ conclusionis mihi hæc est, quod scilicet patre vivo in huius bonis spe tantùm quadam legitimam habet, dict. leg. 1. § si impubere, ff. de collat. bonor. Spes † autem successionis ad extraneum heredem cuius loco fiscus est, non transmittitur, l. vn. §. in Novissimo, C. de caducis tollendis, & l. vn. C. de his qui ante apertas tabulas, & l. ventre 84. ff. de adquir. vel amittend. hered. 101 102

Atque hac etiam ratione motus subscribo sententiæ Nelli, quam refert & sequitur Gigas dict. Rubric. de pœn. committ. crim. maiest. quæst. 8. qua vult hereditatem Reo perduellionis delatam, non aditam ab eo, vivo, ad fiscum non pertinere. 103

Porrò in dubium vocatur, an etiam Reo quasi perduellionis, ante damnationẽ mor- 104

 tuo,

tuo, memoria eius damnetur, hoc est, per sententiam bona ipsius jam mortui publicentur, & fisco inferantur? Arbitror autem id juris autoritate nulla certò affirmari posse. Etsi enim de Reo perduellionis id jure cautum sit, vt supra ostendi, attamen in d. l. Quisquis 5. C. ad leg. Jul. maiestat. quæ sola extat de quasi perduellionis crimine, nulla litera suadere videtur, idem etiam ad quasi perduellionis Reum porrigi debere. Quapropter cum jura odiosa extensionis interpretatione adjuvanda non sint, l. cum quidā 19. in fin. ff. de liber. & postum. Et in pœnalib. benignior facienda sit interpretatio, C. in pęnis, tit. de reg. jur. in 6. & l. pen. ff. de pœn. certè quod hac de pœna dispositum est in Reo perduellionis, id porrigi ad Reum quasi perduellionis minimè debet. Ita sentit etiam post alios quos refert, & sequitur Julius Clarus libr. 5. sentent. §. læsæ maiestatis crimen, numer. 16. At dissentire videtur Menochius consil. 99. num. 67. & 68. Item num. 70. 71. 72. 73. at nullo certò argumento. Et satis ille refutatus est à Fachinæo libr. 31. controvers. cap. 34.

Nunc dispiciendum, qui pręter ipsum Reū ob quasi perduellionis crimen obnoxii pœnę fiant. Hi autem sunt, tum liberi ipsius Rei, tum etiam, qui pro Reis quasi perduellionis apud Imperatorem intervenire audent.

Libero-

Liberorum pœna duplex est: vna quod præterquam bonorum patris, qui hoc se crimine polluit, exortes sunt, à materna quoque item avita, & proximorum, quin etiam extraneorum successione alieni habentur. Altera, quod paterna infamia eos semper comitatur, & ad nullos prorsus honores, ad nullum iusiurandum admittuntur, d. l. quisquis, 5. §. filii verò, C. ad leg. Iul. maiest. Ex † quo loco manifestè evincitur communis error eorum, quos refert & sequitur Iul. Clar. in d. §. læsæ maiestatis crimen, numer. 14. cum volunt, hanc in liberos pœnam, in eos tantum converti liberos, quorum parens crimen maiestatis contra Imperatorē, vel Rempublicam Romanā commisit. Quando enim Impp. Arcadius & Honor. *Filij* aiunt *eius*, certè de filiis loquuntur eius, cuius in principio legis illius facta fuit mētio, vti arguit relativū illud *eius*. Sed in principio legis illius sermo est non de eo tantum, qui de Imperatoris, sed & qui de Consiliarii Imperatoris, item de Senatoris Romani, tùm etiā eius, qui Imperatori militat, nece cogitavit; vt proinde de huius etiam filiis necessariò intelligenda sit dispositio proximè sequētis §. filii eius. 105 106

Etsi autem filiæ quoq; Rei quasi perduellionis arceantur à successione etiam propinquorum, legitimam tamen in bonis maternis salvam habent, dict. leg. Quisquis, 5. §. ad 107

filias verò, C. ad leg. Iul. maiest. Unde pater hoc casu meliorem esse conditionem fœminarum, deteriorem masculorum.

At obstare videtur l. in multis 9. ff. de statu hominum, vbi Papinian. Jurisconsultus, in multis, ait, juris nostri articulis, deterior est conditio fœminarum, quam masculorum. Sed quia Jurisconsultus *in multis* ait, *juris articulis*, evincitur inde in casibus quibusdam fœminarum conditionem meliorem esse; quorum casuum vnus hic est, de quo agimus.

108 Sed quæri hoc loco potest, an in computatione legitimæ etiam filii partem faciant, hoc est; eorum etiam respectus haberi debeat, ita vt non totus triens, vel totus semis filiabus ex bonis maternis sit assignandus, sed rata tantum portio connumeratis scilicet filiis, licet hi nihil capiant? Verius autem est, totum trientem, vel totum semissem filiabus deberi, perinde ac si mortui filii fuerint, per textum in l. 1. §. sed & si patruus, ibi, nam exheredatus pater eorum pro mortuo habetur, ff. de conjungend. cum emancipat. liberis, & l. Qui repudiantis 17. in princ. ff. de inoffic. testamento. Atq; ita post Græcos sentit etiam Anton. Contius ad d. l. quisquis 5. §. ad filias. C. ad leg. Jul. maiest.

Neque obstat l. Papinianus 8. §. quoniam, ff. de inoffic. testam. Est enim de casu, quo vnus

vnus ex filiis exheredatus querela inofficiosi agit, alter verò non agit, agere tamen si velit, adhuc potest, atque ita suam quoque partem petere. Hic verò tractamus de casu, quo filii nullum jus petendi legitimam habẽt, vt proinde partem facere non possint.

Pœna autem eorum, qui apud Imperatorem pro quasi perduellionis Reo intervenire ausi fuerint, est perpetua infamia, dict. leg. quisquis 5. §. Denique jubemus. C. ad legem Jul. maiest.

RESTAT pœna criminis læsæ maiestatis ita specialiter dicti. Huius criminis pœna alia similiter corporalis est, alia item quandoque bonorum. 109

Corporalis illa pœna regulariter etiam capitalis est, & quidem vltimum supplicium, interdum autem deportatio, vel relegatio cum infamia.

Deportatione & infamia afficitur qui hostem fugientem sciens suscepit, l. Metrodorum 40. juncta l. eorum 24. ff. de pœnis.

Relegationis verò & infamiæ pœna ei imponitur, qui hostem populi Romani quodam occultari loco non ignorans diu dissimulavit, d. l. Metrodorum 40. juncta l. eorum 24. ff. d. t. Post glossam quoque & Bart. Antonius Capycius decis. 130. nu. 20. scribit, quod possit esse quis in crimine lęsę maiestatis, & esse in pœna tantum relegationis.

Cæteri autem huius criminis Rei vltimo supplicio afficiuntur, vltore ferro prostrati, per textum in d.l.quisquis,5.in fin.ibi, vtpote maiestatis Reus gladio feriatur.C.ad leg. Jul. maiest. Ex quo loco evincitur, Reos maiestatis ferè omnes gladio feriri; quippe cum ibi Impp.Arcad. & Honor. à genere ad speciem argumentari videantur hoc modo: Qui de Imperatoris, vel Consiliarii Imperatoris Cōsistoriani, vel Senatoris Romani, aut militis Imperatorii nece cogitat, capite plectitur: Nam Reus est maiestatis: Inde ergo sequitur, maiestatis Reos regulariter gladio feriri. Idē etiam haud obscurè probat textus in l. 3. in pr.ibi, capite puniri, ff.de leg. Jul. maiest.

Neq; obstat, quod ibidē lex duodecim tab. & lex Julia maiestatis invicem opponuntur. Illi autem pœna capitis accepta fertur; hac verò huius criminis Reus teneri simpliciter dicitur, nec vlla nominatim pœna additur. Non, inquam, id obstat. Sententia enim JC. Marciani hęc est, quod olim quidē lex 12. tab. jusserit Reum hujus criminis puniri; hodie verò eundem Reū coerceri lege Julia maiestatis. Et quia prius dixit JC. quod jussu legis 12.tab. punitus fuerit maiestatis Reus, postea autem simpliciter dicat, hodie eum teneri lege Iulia maiestatis, significare videtur, quod eadem illa pœna capitis accommodata sit legi Julię maiestatis; siquidem hanc Rei maie-

stratis

statis pœnam esse ex d.l.quisquis 5. in fine pr. C.ad leg. Jul. maiest.abunde constet.

Adhæc, quod etiam Reus huius criminis maiestatis ita specialiter dicti, pœnâ mortis afficiatur, scribit quoq; Bl.ad l. data opera 11. n.14. C.de his,qui accusare non poss.Item Bonif.in tr.de maleficiis,rub.quib.de causis quis possit ad mortẽ,vel in membro condemnari. Tum etiam Salyc. ad d.l.quisquis 5.in pr.col. 2.ibi. Nam licet in quolibet casu sit pœna capitis,C ad leg.Iul.maiest.& Anton.Capycius dict.decis.130.n.20. II

Cęterum quod attinet pœnam bonorum, duo casus hic distinguẽdi sunt; vnus quo ipse maiest.Reus sine liberis est.& parentib.viuis; alter quo liberos,vel parẽtes superstites habet. III

Priori casu bona Rei maiestatis publicantur,siue vltimo supplicio, siue deportatione afficiatur, per textum in l. 3. ff. de interdictis & relegat. & in l.quando quis 10. C. de bonis proscriptor. l. Eorum, 9. ff. de leg. Jul. maiestat. Tit. 56. quæ sunt regalia, lib. 2. feud. & Novell. 134. cap. vltim. Atque ita etiam sentire videtur Salycet.ad dict.leg. quisquis 5.in princip. colum. 2. C. ad leg. Iul. maiest. his verbis; licet in quolibet casu sit pœna capitis,& publicationis bonorũ,&c. Idem quoq; sentit Anton. Capycius dict.decis. 130. n. 20. vers.sit ergo conclusio, quod in secundo capite legis Iuliæ maiestatis est pœna mortis,& publi-

publicationis bonorum. Sentiunt idem Dd. quos refert & sequiturMenochius consil.99. num. 41. 42. 43. & 73. & sequent. numero reijcit eorum opinionem; qui volunt non publicari bona ex capite 2. legis Juliæ maiestatis.

112 Non est hoc loco ignorandum, quod Dd. nostri duo faciunt capita legis Juliæ maiestatis, argumanto scilicet l. 2. ff. de leg. Jul. maiestat. vbi Ulpianus Jurisconsultus. Nam, ait, & hoc capite primo, lege maiestatis enumeratur.

113 Non convenit autem inter Dd. nostros, quæ facta primum complectatur caput: quæ item caput secundum. Cynus & eum secutus Salycetus, ad d. l. quisquis 5. in princ. C. ad legem Juliam maiest. Duo, aiunt, legis Juliæ capitula sunt. Unum est, quando machinatur quis adversusRempub. Et istud non est verè, nec propriè crimen læsæ maiestatis. Atqui hæc Cyni & Saliceti sententia ferenda non est, tùm quia & ille ad primum legis caput pertinet, qui adversus Rempubl. quid commisit, vt qui in tabulis publicis sciens falsum conscripsit, vel recitavit, vt disertè tradit Ulpianus Jurisconsultus in d. l. 2. ff. de lege Julia maiestat. tùm quia & ille verè & propriè maiestatis crimen committit, qui Rempublic. lædit, l. 1. §. 1. & l. vltim. vers. planè, ff. d. tit.

Alij

Alii docent, primum legis Iuliæ caput eos complecti, qui Imperatorem Romanum, vel Romanam Rempublicam offenderunt: Secundum verò caput hos continere aiunt, qui læserunt inferiorem aliquem magistratum, vel inferiorem Rempubl. Veluti Principem, aut Rempublic. recognoscentem superiorem, puta Cæsarem, vel Rempublic. Romanam. Ita sentire videtur Decius consil. 410. nu. 26. & Ruinus consil. 3. num. 12. lib. 5.

Huic opinioni proxima est opinio Antonii Capycii in dict. decis. 130. num. 17. vers. at meo, vbi eius verba hæc extant: Crimen hoc habet tantum duo capita. In primo capite ponendi sunt omnes casus, causæ, & capitula, in quibus molitur quis contra Principem, vel Rempublic. In secundo verò capite ponantur aliæ causæ, in quibus quis non molitur contra Principem, vel Rempublic. principaliter. Et postea num. 18. 19. & 20. ostendit, quod Reus maiestatis ex primo capite puniatur capitis pœna, publicatione itē bonorum, & damnatione memoriæ: ex capite verò secundò, similiter quidem capitis pœna, & publicatione bonorum, at non damnatione memoriæ.

Verùmenimverò opinioni huic non per omnia inhærendum erit: tùm quia ad legis Iuliæ maiestatis caput primum, quod vocant ex sanctione Arcadii & Honorii quædam

dam pœnæ accessio facta est, quippe cum liberis eius, qui de Imperatoris nece cogitavit, neque ad avitam, neque ad maternam, neq; ad propinquorum, neque ad extraneorum hereditatem aditus pateat, dict. l. quisquis 5. §. filios verò, C. ad leg. Iul. maiestat. tum etiam quia eadem Arcadii & Honorii lege cautum est, vt modò dictam sustineant pœnam, non modò qui contra ipsum Principem, sed & qui adversus Principis Consiliarios Consistorianos. Item Senatores Romanos, & milites Cæsaris quid hostiliter moliti sunt, dicta lege quisquis 5. in princip. Cod. eodem titulo.

Quarta opinio est Menochii in dict. cons. 99. nu. 67. & seqq. verba Menochii hæc sunt: Duo hęc legis Iulię capita distinguamus: Primũ cum lædatur vel Princeps vel eius magistratus, qui & apud Principẽ, vel in provincia Principis loco est, ita vt Principis tranquillitas perturbetur. Huius memoria damnatur, & bona etiam eo vita functo publicantur. Secundum verò legis Iuliæ caput est, cum splendor, honor, & fama Principis quodammodo obscuratur, & violatur; quod contingit, quando quis principis statuas, aut imagines jam consecratas conflaverit, aliudvé simile adniserit, l. qui statuas, & l. famosi, in fin. ff. ad legem Iuliam maiestat. Hæc Menochius qui paulo post subiicit, ex hoc capite

secundo

ſecundò memoriam defuncti non damnari, & eius bona non publicari.

Sed hæc Menochii opinio errore affecta eſt: ſiquidem velit eius quoque Rei maieſtatis defuncti memoriam damnari, qui de nece Conſiliarii, vel militis Cæſarei, vel Senatoris cogitauit, cum tamen huius pœnæ noua Arcadii & Honorii ſanctio pœnalis non meminerit, in d. l. quiſquis 5. C. ad leg. Iul. maieſt.

Prædicta igitur omnia cum ita ſe habeant, nec certò conſtet, duo tantum, an plura fuerint legis Iuliæ maieſtatis capita ſatius eſt, diſtinguere inter crimen perduellionis, quaſi perduellionis crimen, & crimen maieſtatis ita in ſpecie dictum. 114

SEQVITVR de altero caſu, quo Reus maieſtatis liberos, vel parentes ſuperſtites habet. De hoc caſu longè difficilior dubitatio eſt, vtrum ſcilicet liberis, vel indefectum liberorum ipſis parentibus ad tertium vſque gradum bona Rei damnati conſervanda ſint: an verò ſimiliter publicanda, & fiſco inferenda? Facilè autem hoc dubium tolli poſſet, ſi conſtaret de vero, & ſano intellectu Novel. 134. cap. vltim. verſ. vt autem non ſolum. Qua conſtitutione Iuſtinianus Imperator primò cavit, vt bona Reorum, qui morte, aut proſcriptione damnantur, ſi liberos aut parentes primi, ſecundi, vel tertii 115

gradus

gradus habeant, non publicentur, sed ipsis liberis, aut prædictis parentibus relinquantur. Deinde ab hac definitione excipit Justinianus eos, qui de maiestatis crimine damnati sunt. Horum enim bona secundum veteres leges fisco inferri jubet.

116 Sed quæstionis est, vtrum maiestatis crimen dicto loco generaliter accipi debeat; an verò specialiter de crimine perduellionis, & quasi perduellionis crimine? Verba certè latina veteris Interpretis generalia sunt, de crimine maiestatis; vt iccircò dicendum videatur, eam Justiniani constitutionem de omni maiestatis crimine exaudiendam esse. Proindeq; ex omni maiestatis crimine, etiam hoc speciali, bona Rei damnati ad fiscum, non ad liberos, aut parentes pertinere. Id quod existimat etiam Anton. Contius ad d. l. quisquis, 5. in verbis, *Bonis eius fisco nostro addictis*. C. ad leg. Jul. maiest.

Sed quo minus huic subscribere possim sententiæ, sequentibus moveor argumentis. Primò textus græcus in ea parte constitutionis habet vocem καθοσιώσεως. Vox autem ὅσιον, vnde composita derivata dictio καθοσίωσις, sonat Græcis idem, quod publicum, vt Budæus in Commentariis linguę Græcæ pluribus docet, vt proinde καθοσίωσις in d. Novell. 134. cap. vlt. illud crimen sit putandum, quod adversus ipsam principaliter Imperatoris

toris publicam personam, vel contra ipsam Rempublicam hostili animo committitur, quod perduellionis crimen jura nostra appellant, l. vlt. ff. de lege Julia maiest.

Deinde ὅσιον etiam sacrum; consecratum, & Sanctum Graecis autoribus significat; vt καθοσίωσις idem sit Graecis, quod Latinis crimen Sacrilegium, vt quod directò adversus sacratissimum, & sanctissimum Romanorum Principem, vel contra sacrum Romanum Imperium committitur; quippe cum Imperator Romanus Princeps sacratissimus dicatur, vti Pandectarum, & Codicis inscriptio arguit. Item sanctissimus Imperator in l. Titia 87. §. vltim. ff. de leg. 2. & Imperium Romanum sacrum, & sacratissimum communiter appelletur.

Prętereà Holoander quoq; in dict. Novel. 134. cap. vlt. καθοσιώσεως nomen vertit perduellionis crimen; quam versionem probat quoque Cuiac. ibidem, & Ioan. Robert. lib. 2. sentent. jur. cap. 22.

Adhæc licet καθοσιώσις generalis fuerit dictio, denotans generaliter maiestatis crimen. Perduellionis verò crimen propriè Gręcis sit τυραννίς, vti arguere censetur Tit. 52. cap. 15. lib. 60. Βασιλικῶν, & textus in Græca l. 11. C. de bonis proscript. attamen certum est, quod & ipsum crimen perduellionis, quandoque specialiter voce καθοσιώσεως significetur, vt

in Titul. 36. cap. 18. & capite 20. libr. 60. Βασιλικῶν.

117 Sic per crimen maiestatis simpliciter positum, interdum perduellionis duntaxat crimen denotatur, vt in l.6. & l.7. C. ad leg. Jul. maiest. l. ex judicior. 20. ff. de accusat. vt proinde cum in pœnis benignior interpretatio facienda sit, c. In pœnis, Tit. de reg. jur. in 6. & interpretatione legum pœnæ molliendæ sint potius, quam asperandæ, l. penult. ff. de pœnis. odiaque restringi non adjuvari debeant, l. Cum quidam 19. in fin. ff. de liber. & posthumis, satius sit, cũ Holoandro, Roberto, & Cuiacio vt dicamus, in Novel. 134. cap. vlt. καθοσιώσεως nomine significari illud tantum maiestatis crimen, quod perduellionis, & quasi perduellionis crimen vocamus, non etiam maiestatis crimen.

Atque hæc sententia denique eo ipso maximè confirmatur, quod Theodos. & Valent. Impp. in l. substantiam, C. Theodos. eodem tit. volunt, vt damnatorum substantia liberis relinquatur, excepta tantum illa maiestatis quæstione, *quam sacrilego animo quis assumpserit*, quæ verba indicant, id ad maiestatis illud dumtaxat crimen referendum, quod atrocius sit; quale est perduellionis, & quasi perduellionis crimen. Quod cum ita sit; sequitur inde bona Rei maiestatis specialis relinquenda esse liberis ipsius Rei damnati,

mnati, aut his deficientibus, eius parentibus, qui in primò, secundo, aut tertio gradu constituti sunt per dict. Novell. 134. cap. vlt. & Auth. Bona damnatorum, C. de bonis proscriptor. In qua Auth. (quod notandum) verba hæc, *& ex latere*, ferenda non sunt, siquidem dict. Novel. 134. cap. vlt. vnde transscripta est, ea non agnoscat.

Cæterùm quia nostram hanc decisionem firmare quoque videtur textus in l. eorum 9. ff. de leg. Jul. maiestat. iccircò eius sententiam hoc loco indagare operæ precium erit. Verba Jurisconsulti Hermogeniani in ea lege hæc sunt: Eorum qui maiestatis crimine damnati sunt, libertorum bona liberis damnatorum conservari Divus Severus decrevit: Et tunc demum fisco vindicari, si nemo damnati liberorum existat. 118

Johannes Robertus libro 2. sentent. jur. cap. 22. & Menochius consil. 99. numer. 184. hanc legem accipiunt de libertorum, maiestatis crimine damnatorum, bonis, quæ eorum liberis conservari aiunt. Ea si mens est Jurisconsulti, certè lex illa in confirmationem conclusionis nostræ advocari rectissimè potest: quippe cum nulla hic diversitatis ratio inter libertorum maiestatis crimine damnatorum liberos, & liberos ingenuorum eodem crimine damnatorum constitui possit.

 Et si quis

Et si quis obiecerit huic interpretationi, quod Justinianus primum in dict. Novel. 134. cap. vlt. hoc constituerit jus, vt bona damnatorum liberis eorum conserventur, vt proinde in Pandectarum legi hæc sententia affingi nequeat; respondeti poterit, quod & ante eam Novellam, quin etiam ante Pandectarum editionem damnatorum liberis bona parentum damnatorum integra ex Valentiniani, & Valentis Impp. lege conservata fuerint, excepta sola perduellionis, & quasi perduellionis quæstione, textus est in l. Substantiam, C. Theodos. de bonis proscriptor. Verba legis hæc sunt: Substantiam damnatorum integram ad liberos pervenire, & in qualibet causa positis parentibus, liberos heredes esse præcipimus: Excepta sola maiestatis quæstione, quam si quis sacrilego animo assumit, justè pœnam ad suos etiam posteros mittit. Hæc dicto loco Impp.

Plerique tamen alii dict. leg. Eorum, 9. ff. de leg. Jul. maiest. interpretantur de patronis crimine maiestatis damnatis, & horum liberis, quorum jura & bona liberis damnatorum patronorum conserventur, quæ sententia expressè posita est in l. 4. ff. de jure patronatus.

Sed hic si fuerit sensus dict. leg. Eorum, è diametro illi, vt & dict. l. 4. obstare videntur, l. 3. ff. de interdict. & relegat. l. 1. C. de

bonis

Bonis libertorum & l. quisquis 5. §. 1. ibi, sint perpetuò egentes, & pauperes C. ad leg. Jul. maiestat.

Duaren. ad Tit. ff. de leg. Jul. maiestat. vt conciliet d. l. Eorum, 9. ff. dict. tit. cum d. l. 3. ff. de interdict. & relegat. scribit, non esse pro lege Justiniani accipiendum, quod Hermogenianus in dict l. eorum, refert, Divum Severum decrevisse. Quibus verbis indicat, referri ibi tantum, non probari decretum Divi Severi. At quia in d. l. 4. ff. de jure patronatus, etiam expresse ea sententia proponitur, verisimile est, eam in pandectas, non quod historia tantum juris sit antiqui; sed vt jus, quod Justiniano etiam placeat, relatam fuisse, per textum in oratione de confirmat. Digestor. §. Ne autem incognitum.

Ceterùm alii, inter quos etiam est Oldrad. consil. 94. num. 20. corrigunt verba d. leg. 3. ff. de interdict. & releg. & ibi pro, libertos, legunt, liberos. Verum huic correctioni nulla ratio idonea assistere mihi videtur.

Accursius autem varias conciliandi rationes adfert ad l. Eorum, 9. ff. de leg. Jul. maiest. & ad d. l. 3. ff. de interdict. & relegat. & d. l. 4. ff. de jure patronat. quarum vni tantum subscribit Cuiac. lib. 6. observ. cap. 23. quæ hæc est: Quod Jurisconsultus Alphenus, quò ad libertos, de stricto jure loquatur in d. l. 3. ff. de interdict. & relegat. At de æquitate &

benignissimo jure loqui Jurisconsultos in d. l.4. ff. de jure patronatus,& d. l. eorum, 9. ff. de leg. Jul. maiestat. Cui responsioni annuunt verba d. l. 4. ibi, benignissimè rescripserunt, ff. de jure patronatus.

Quod attinet l. 1. C. de bonis libertor. eam Accursius de perduellionis crimine, accipit: At l. eorum 9. ff. de leg. Iul. maiest. de crimine maiestatis. Sed quia liberis jura libertorum salva manent, etiamsi parens patronus perduellionis crimine damnatus fuerit, d. l. 4. ff. de jure patronatus. Iccirco admittenda non est hæc Accursii interpretatio. Loquuntur autem Impp. Severus, & Antoninus in d. l. 1. C. de bonis libertor. non de parente patrono damnato, sed de ipsomet patroni filio perduellionis damnato, vt proinde meritò libertorum bona ei ablata, & fisco vindicata dicantur.

Postremò quod sanctione Arcadii & Honorii in d. l. quisquis, §. 1. C. ad leg. Jul. maiest. filii ob paternum illud crimen perpetuò egere, & pauperes esse jubentur, non de propriis libertorum bonis, & jure accipiendum est, sed de aliorum hereditate, quæ obvenire potuisset ipsis liberis patre criminis illius vacuo. Jura autem libertorum propria sunt liberorum, l. vn. §. sed etsi sub conditione, 7. C. de latina libertat. tollend.

CAP. IV.

CAP. IV.

De Judicio Majestatis.

SUMMARIA.

1 Partitio huius argumenti de iudicio maiestatis.
2 Quis iudex sit in causa maiestatis: vbi communis Dd. error detegitur.
3 Variis ostenditur argumentis, quod in maiestatis causa non Imperator, sed alius sit iudex.
4 Respondetur ad argumenta opinionis contrariæ.
5 Rebellis ante sui condemnationem amittit ea, quæ iuris sunt ciuilis, & impune occidi potest.
6 De processu iudicii maiestatis, quibus rebus ille continetur.
7 Citatio quomodo hic fiat.
8 Reus maiestatis, nisi vilis conditionis homo sit, non capitur, sed citatur ad iudicium.
9 Contra Reum maiestatis citatum, & non comparentem in termino, proceditur in contumaciam.
10 Absens damnari non potest, si pœna criminis relegatione maior sit.
11 Quæstio, an absens Reus maiestatis per Procuratorem comparere possit.
12 Si Reus criminis ipsemet contestatus sit litem, comparere potest per Procuratorem.
13 In iudicio maiestatis potest Reus per Procuratorem comparere, licet ipsemet præsens litem contestatus non sit.
13 Reijcitur Bartoli interpretatio.
14 In causa fractæ pacis admittitur Procurator Rei.
15 Quæstio controuersa; an Reus maiestatis aduocatum habere possit in iudicio?
16 Quis accusare possit maiestatis Reum.
17 Quæstio: an vxor maritum suũ maiestatis Reũ accusare possit?
18 Libellus an sit necessarius ad accusandum maiestatis Reum?
19 Processus iudicii maiestatis vel summarius est, vel ordinarius pro arbitrio iudicis.
20 Per denunciationem potest quis aliquem maiestatis Reum facere.
21 Denunciatio ad inquirendum, non ad damnandum conducit.
22 Inquisitione vtitur ex officio iudex, quando nemo vel accusat maiesta-

maiestatis Reum, vel per denunciationem ipsum Reum facit.

23 *Magistratus officium est, conquirere latrones, & alios quietem publicam turbantes, atque in eos severissimè animadvertere.*

24 *Litis contestatio non est necessaria in hoc iudicio, cum ex sententia iudicis de plano, & summariè proceditur.*

25 *Crimen maiestatis probatur non solum testibus, sed & confessione tormentis expressa.*

26 *Torqueri interdum potest etiam accusator Rei huius criminis: ut & ille, cuius consilio accusationem instituit.*

27 *Qui testes examinari possint de hoc crimine, remissivè.*

28 *Conclusio an sit necessaria in maiestatis iudicio?*

29 *Cognitio causæ accurata in hoc iudicio necessaria.*

30 *Executio sententiæ fit, si non sit appellatum, aut appellari nequeat.*

31 *Appellare an possit maiestatis Reus condemnatus, quæri solet.*

32 *Appellationes in causis criminalibus an hodie recipiantur?*

HOc, de quo nunc breviter dicemus, maiestatis judicium appellat Modestinus Jctus in l. Ex judiciorum 20. ff. de accusat. Et causa, item quæstio huius criminis, maiestatis causa, & quæstio maiestatis vocatur in l. 4. & l. vltim. §. pen. C. ad leg. Jul. maiest. & l. In quæstionibus 8. ff. eod. tit.

1 Circa hoc autem judicium triplex generalis inspectio incurrit, vna de judice, qui de crimine maiestatis cognoscit; altera de processu huius judicii: tertia de appellatione.

2 Quod Iudicem attinet, communis est Dd. conclusio, quod huius criminis cognitio ad solum Imperatorem pertineat. Ita sentiunt, quos citat, & sequitur Hier. Gigas in Tract. de crim. læsæ maiest. Rubr. Quis de crimine læsæ maiestat. cognoscere possit.

Verùm

Verùm hoc, licet commune, pronunciatum, erroris plenissimum esse intrepidè affirmo, statuens alium competentem criminalis causæ judicem de hac maiestatis quæstione cognoscere, nixus tum autoritate juris Justinianei, tum etiam sanctione Henrici Septimi Romanorum Imperatoris.

Legislatio Justiniani ex Modestini libr. 12. Pandectar. in l. famosi 7. §. Hoc tamen, ff. de lege Julia maiestatis, ita habet; Hoc crimen à judicibus non in occasionem ob principalis maiestatis venerationem habendum est, sed in veritate. Ecce Justinianus Imp. præcipit hic judicibus, vt in causa, & quæstione maiestatis veritatem spectent, non Imperatoris venerationem. Non ergò ipsemet Imperator, sed competens judex de maiestatis crimine cognoscit. 3

Idem quoque haud obscurè evincitur ex l. 4. C. ad leg. Iul. maiestat. vbi Iustin. Imp. ex Valentiniani, Valentis, & Gratiani Augustorum rescripto, permittit judicibus, vt etiam inconsulto & nescio Imperatore in Reum maiestatis fidiculorum tormenta inferant. Non ergò Imperator Iudex competens est in maiestatis causa.

Sanctio Henrici Septimi Romanorum Imp. hac de re in Tit. 1. Extravagantium, quas 11. collationem appellant, talis extat; Sancimus, vt in quocunq; læsæ maiestatis crimine,

& maximè vbi contra Romanorum Imperatores, vel Reges aliquid asseratur commissum, possit procedi per accusationem, inquisitionem, seu denunciationem, summariè & de plano, sine strepitu, & figura judicii, *pro vt illi, qui jurisdictioni praeest, videbitur expedire*. Ecce his postremis verbis ostendit Imp. Henricus, quis Judex sit in maiestatis causa, nimirum non Imp. ipse, sed Iudex competens, qui jurisdictioni huic criminali præest. Accedit postremò huc, quod iniquum est, aliquem Rei suæ Iudicem fieri. l. Julianus, 17. ff. de jud. & tot. titul. Cod. Ne quis in sua causa judicet. l. Extat. 13. ff. Quod metus causa, & l. 1. ff. quod legator.

4 Non obstat l. vn. in fin. C. Si quis Imp. maledixer. Est enim locus ille de solo maiestatis crimine, per maledictum in Principem commisso, cuius extraordinariam cognitionem sibi soli Imperator reservavit.

Nihil item refragatur in Titul. 2. Qui sint rebelles, in Extravagantibus quas II. collationem appellant, textus hic; *nisi prius per nostræ maiestatis sententiam condemnatus appareat*. Censebant enim quidam, non esse rebellem, nec infidelem existimandum aliquem, nisi prius ab ipsomet Imperatore per eius sententiam pro rebelli, & infideli declaratus & condemnatus fuerit. Sed hanc falsam esse ipsorum opinionem dicta sua consti-

constitutione Imperat. Henricus Septimus, ostendit, ac declarat, vt etiam citra vllam sententiam rebellis, & infidelis reputetur, qui quomodocunque publicè, vel occultè contra Imperatoris honorem, & fidelitatem rebellionis opera facit; vt qui contra Imperii Romani prosperitatem aliquid machinatur, rebellando contra ipsummet Imperatorem, vel eius officiales in his, quæ ad commissum eis officium pertinent.

Huius constitutionis finis hic est, vt rebellis etiam ante sui damnationem omnia, quæ juris civilis sunt, perdat, l. 5. §. 1. ff. de capite minutis, & à quovis impunè trucidari possit. l. Minimè, 35. ff. de relig. & sumptibus funer. l. 5. liceat Cod. ad legem Corneliam de sicar. l. 3. §. vltim. ff. dict. tit. l. 1. l. 2. C. Quando liceat vnicuique sine judic. vindic. Hier. Gigas in Tract. de crimine læsæ maiestatis, Rubr. de Rebellib. quæst. 25.

Cognito, quis sit Iudex in maiestatis causa, dispiciendum nunc erit, de processu judicii maiestatis. Processus hic etiam consistit tum in citatione, & criminosi accusatione, & quæ hic in locum accusationis succedit, denunciatione & inquisitione; tum in litis contestatione, & criminis probatione: tum etiam in damnatione, & sententiæ executione, textus est de hoc processu & ordine huius judicii in Titul. 1. Extravagantium

con-

constitution. Henrici Septimi Romanorum Imperat.

7 Citatio illa fit vel per nuncium, vel per literas, vel per edictum publicè propositum, vt arguit dict. Titul. §. Ad hoc si qua communitas.

8 Quo loco de personæ captura, & apprehensione verbum nullum. Sic in causa fractæ pacis judicium non à captura, sed ab eius citatione inchoatur, etiamsi factum sit notorium, Andr. Geil. lib. 1. de pac. public. cap. 9. num. 6.

Quod si tamen Reus infimæ sortis homo in territorio competentis Iudicis sit, eius persona etiam apprehendi potest, & ad Iudicem produci, per textum in c. Si Clericos, Tit. de sententia excommunicationis, in 6. l. consentaneum 8. vers. à quo ter citatus, C. Quomodo, & quando Iudex, & in l. Injuriarum, 13. §. si quis, quod decreto, ff. de iniuriis. Marant. de ordin. Iudicior. part. 6. Rubr. de citatione, num. 60. pag. 575.

9 Quod si Reus absens citatus non compareat in termino, in contumaciam eius nihilominus proceditur, per text. in dict. constit. Henrici Septimi.

10 Iustinianeo tamen iure aliis in criminibus absens damnari non potest, si in eum relegatione maior pœna cövertenda fuerit, l. absentem, §. adversus contumaces, ff. de pœnis.

Sed

Sed comparere per legitimum procuratorem num possit Reus maiestatis in quæstione versatur? Juris autoritas arguit, vbicunque absens quis damnari potest, ibi procuratorem etiam pro eo absente audiri l. servum 33. §. publicè, ff. de procuratoribus. † Eiusmodi autem absens Reus est, cum quo prius ante eius absentiam per litis contestationem judicium inchoatum fuit, l. Inter accusatorem 10. ff. de public. judic. & l. Adultera 13. C. ad leg. Iul. de adulter. atque ita quoque intelligi debent l. 4. §. vltim. vers. Et qui hoc crimine, ff. ad legem Cornel. de sicar. & l. 3. C. de accusat. Cuiac. lib. 20. observ. cap. 20. & cap. seq. & in libr. 2. Papin. de adulter. pag. 677. & in lib. 2. definitionum Papiniani, pag. 648. Quod si cum Reo absente lis antea contestata non sit, tunc frustra pro eo defendendo procurator intervenit, l. Accusator 13. §. 1. ff. de publ. judic. 11 12

Etsi autem jure Justinianeo hæc ita se habeant, attamen ex sanctione Imperatoris Henrici Septimi in dict. Tit. 1. ibi, *personaliter, vel legitimè comparere,* dicendum videtur, quod in hoc maiestatis judicio Reus etiam per procuratorem legitimum comparere in judicio possit: † quamvis eum locum Bart. interpretetur de casu, quo Reo maiestatis relegatione minor pœna est imponenda, sed malè, cum ibi Imperator Henricus 13

gene-

generaliter de omni maiestatis crimine loquatur, & relegatio non nisi rarissimè in maiestatis Reum convertatur, vt in casu l. Me-
14 trodorum 40. ff. de pœnis. Sic † etiam in causa fractæ pacis, quanquam criminalis ea sit, procurator tamen pro Reo admittitur. Andr. Geil. lib. 1. de pace publ. cap. 10. n. 8.

15 Sed an advocati hisce Reis permittantur, quæri solet? Bartol. ad dict. constitution. Henrici Septimi Imp. in verb. Sine strepitu, num. 3. & Hieronym. Gigas in Tract. de crimin. læsæ maiestat. Rubr. Qualiter in crimine læsæ maiestatis procedatur, quæst. 4. nu. 8. & 9. id negant. Sed absque vllo certo fundamento, Bart. hac vtitur ratione, quia in hoc judicio sine strepitu proceditur. Sed hoc argumento ea sententia minimè probatur, vti evincitur ex Clement. sæpè, Tit. de verb. sig. Gigas verò nititur textu in l. quisquis, 5. §. denique jubemus, C. ad leg. Iul. maiest. Sed neque ille locus huic opinioni adsistit. Est enim non de judiciali advocato, sed de eo, qui pro Reo perduellionis, vel quasi perduellionis apud Imperatorem intercedit.

16 Porrò citato Reo, accusationi eius locus est. Possunt autem maiestatis Reum accusare & illi qui aliâs ad accusandum non admittuntur, vt sunt famosi, milites, servi, l. Famosi 7. in princip. & § 1. & §. 2. ff. de leg. Iul. maiest. Item mulieres, l. In quæstionibus, 8. ff.

dict.

dict. tit. Quin etiam servi dominum suum, & liberti suum patronum deferentes audiuntur, d.l. Famosi 7. §. servi, ff. eod. tit.

His Doctores nostri plures adijciunt, quos ad accusandum maiestatis Reum admitti autumant, de quibus post Gigantem, Tyber. Decian. in Tractat. criminal. libro 7. cap. 44.

Sed dubium est de uxore, an illa maritum suum de hoc crimine accusare possit? Hier. 17
Gigas in Rubr. qui accusare possint in crim. læsæ maiest. quæst. 15. per totam, & maximè nu. ult. negat jus esse uxori maritum de hoc crimine accusandi. Sed contradicit illi Tyberius Decianus dict. cap. 44. nu. 23. cuius opinioni in crimine perduellionis lubens subscribo, per textum in l. minimè 35. ff. de relig. & sumptibus funer. tum etiam hoc motus argumento, quod etiam servi deferentes suum dominum, & liberti patronum suum accusantes audiuntur, d.l. famosi, 7. §. servi, ff. de leg. Iul. maiest.

Quæritur & illud, an qui hoc de crimine 18
accusare aliquem intēdit, accusationis libellum necessariò exhibere teneatur? post alios id affirmat Decianus, dict. cap. 44. n. 1. Et quia in aliorum criminū accusatione libellus necessarius est, l. 3. ff. de accusation. l. pen. & vlt. C. eod. tit. nec crimen hoc vspiam specialiter excipiatur, idem etiā de eo dicendū autumo.

Neq;

19 Nec obstat, quod summariè & de plano in maiestatis judicio procedi potest. Iuxta Imp. Henrici Septimi sanctionem in dict. tit.1. Extravag. constitut. Nam id aliò pertinet, vti arguit textus in dict. Clement. sæpè Tit. de verb. significat. Potest in hoc maiestatis judicio summariè & de plano procedi, si ita judici visum fuerit; Alioqui regulariter ordinariè procedendum erit; proindeque libellus accusationis exhibendus. Sin processum summarium Iudex desideret, & vt de plano procedatur, necessarius non est libellus. dict. clement. sæpè, tit. de verb. sig.

20 Cæterum si quis maiestatis Reum accusare nolit, per denunciationem tamen huius criminis Reum facere eum potest, per text. in dict. constitut. Henrici Septimi & tradit post alios Hieronym. Gigas in dict. Rubric. Qualiter in crimine maiestatis procedatur, quæst. 15. Nec sanè injuria; cum & alia crimina. Iudici per denunciationem intimari possint, maximè à Stationariis & Irenarchis, l. Absentem 6. vers. & ideo, & l. seq. C. de accusationibus l. 4. in princip. ff. ad Senatusconsultum Turpillian. Duaren. libr. 1. disputat. cap. 38.

21 Denunciatio autem illa non ad damnationem, sed ad inquisitionem conducit, l. Divus 6. vbi Bart. ff. de custod. Reor. Et qui per notoria sua indicia aliquem prodit, notoriis

suis

uis adsistere iubetur, l. ab accusatione 6. §. Nunciatores, ff. ad Senatusconsultum Turpillian.

Plura de denunciatione videri possunt apud Marantam de ordine judiciorum, part. 6. Rubr. de denunciatione, pag. 351. & seq.

Quod si neque accuset, neque denunciatione sua maiestatis Reum prodat quisquã, tunc is, qui jurisdictioni præest, inquisitione in ipsum Reum vti potest, textus est in dict. constit. Imp. Henrici Septimi, Tit. 1. & docet post alios Hieronym. Gigas, dict. Rubr. Qualiter in crimine maiestatis procedatur, quæst. 8. & seqq. & Tiber. Decian. in Tract. criminal. dict. lib. 7. cap. 43. vbi tamen perperam pro hac sententia allegat textum in l. 5. C. ad leg. Iul. maiest. quippe cum ibi strictior inquisitio sit quæstio, quæ fit per tormenta, non etiam ea, de qua hic agimus, inquisitio. 21

Sicaliâs etiam magistratus, latrones, & alios quietem publicam turbantes conquirere, & severissimè in eos animadvertere jubentur, l. 1. §. quies, ff. de offic. præfect. vrb l. 4. ff. ad leg. Iul. peculat. l. 3. l. congruit. 13. ff. de offic. præsid. l. 1. in princip. C. de custod. Reor. d. l. Si quis in hoc, 10. C. de Episcop. & Cleric. vt proinde meritò Duarenus dict. lib. 1. disputat. cap. 38. falsam dicat vulgatam illam Interpp. regulam, qua neminem sine ac- 22

cusatione damnandum esse volunt. De inquisitione autem legatur inprimis Maranta de ordine judicior. part. 6. in princip. num. 5. & seqq.

24 Sequitur de litis contestatione, & probatione criminis huius. Cum maiestatis judicium ex dict. constitution. Henrici Septimi, summariè & de plano exerceri possit, si ita judici visum fuerit, necessariò in eo litis contestatio non desideratur, per text. in dict. Clement. Sæpè, Tit. de verb. sign.

25 Quod attinet probationem huius criminis, ea fit non testibus solum, dict. constitution. Henrici Septimi, Titul. 1. ibi, tam ad receptionem testium, &c. sed & quæstionibus, & tormentis, l. Decuriones 16. Cod. de quæstionib. & l. De crimine 10. §. 1. ff. d. tit. l. 4. C. ad leg. Jul. maiest.

26 Quinetiam accusator ipse tormentis subijci jubetur, si aliis manifestis indiciis accusationem suam probare non possit: Ut & ille, cuius consilio, atque instinctu ad accusationem accessisse videbitur, vt ab omnibus commissi consciis instituta vindicta possit reportari. l. 3. C. dict. tit.

27 Qui autem testes de hoc examinari possint crimine latè ex aliorum monumentis docet Tiber. Decian. dict. lib. 7. cap. 45.

28 Probatione facta, & testium attestationib. publicatis, quæri potest, an conclusio à partibus

tibus necessariò fieri debeat? Et si judex summariè, & de plano partes procedere jusserit, id quod potest ex constitutione Henrici Septimi, conclusio non erit necessaria, per textum in dict. Clement. sæpè, §. sententiam verò, Tit. de verb. sign.

Probationem in summario hoc judicio sequitur sententia definitiva, quæ, accurata prius cognitione causæ facta, concipi & publicari debet; in qua causæ cognitione Iudex spectabit, an Reus facere potuerit, & an ante quid fecerit, & an cogitaverit, & an sanæ mentis fuerit, vt Modestinus Iurisconsultus scribit in dict. leg. famosi 7. §. Hoc tamen, ff. de leg. Iul. maiest. 29

Publicatam sententiam sequitur executio eiusdem, si appellatum non fuerit, aut appellari non possit, textus est in tit. 1. dictæ constitutionis Imp. Henrici Septimi. 30

Restat vt de appellatione videamus. Quæritur autem an appellatio damnato maiestatis Reo, permittatur? Et certi, ac indubitati juris est, quod seditionum concitatoribus, & factionum ducibus appellandi jus denegetur, l. Constitutiones 16. ff. de appellat. & l. si quis filio. 6. §. Quid tamen, ff. de injusto rupt. irrit. fact. testament. Idem tradunt Doctores de omni perduellionis Reo, Ludovic. Carer. in practic. criminal. Tractat. appellationis in criminalibus casu 11. & post alios 31

Tiber. Decian. in Tractat. criminal. libr. 7. cap. 47. nu. 8. per l. Pannonius 86. §. Rei perduellionis, ff. de adquir. vel amitt. hereditat. tum etiam exemplo hæreticorum, qui damnati non appellant c. vt inquisitionis, Tit. de hæretic. in 6. Sed textus d. l. Pannonius, §. Rei perduellionis, ff. de adquir. vel amitt. hered. ad probandum hoc commune Dd. effatum haud rectè allegatur: Verba enim eius §. hæc, suspensa cognitione, significant idem, quod pendente cognitione, siue ante euentum cognitionis, per text. in l. Pater 17. §. Ex quadrante, ff. de doli except. & in l. capitis, ibi, suspenso crimine, ff. de accusat. & in l. pen. C. de crimine expilat. hered. Et quia maius est crimen hæreseos, quam perduellionis crimen, l. 4. §. in mortem quoque, & Auth. Gazaros C. de hæretic. & manich. idcircò ab illo ad hoc incertum argumentum ducitur.

Quod attinet speciale maiestatis crimen, cum nulla lege reperiatur prohibita appellatio in hoc crimine, subscribo Interpretum placito, cum volunt huius criminis Reo damnato appellandi jus tribui. Hieron. Gigas in Tract. de crim. læsæ maiest. Rubr. de pluribus & variis quæstionibus, quæst. 13. Ludovicus Carer. in dict. Tractatu appellationis in criminalibus casu 11. & Tiber. Decian. dict. cap. 47. num. 8.

Et quam-

Et quamvis in Camera Imperiali ex Imperii lege non recipiantur appellationes causarum criminalium, Cammergerichts Ordnung/ part. 2. Tit. 28. §. Item nach dem auch/ & Recess. Imperii Anno 1530, Augustæ Vindelicorum habitus, §. Item als jetz etliche zeit her/ Mynsinger. Respons. 7. num. 13. & Resp. 59. num. 61. & seq. Decad. 6. & cent. 6. observ. 41: Ut nec aliis quibusdam in judiciis, vel ob specialem legem, Fürstl. Würtemb. Landtrecht, part. 1. pag. 138. §. Das von etlanden / vel propter consuetudinem receptam, Wesenbec. in paratit. ff. de appellat. recip. vers. Quod consuetudo: id tamen ad alia judicia generaliter porrigi non debet; cum statutum, & consuetudo localis, stricti juris sint, & nisi probentur, attendi non debeant, c. 1. & c. fi. Ubi Canonistæ ext. de consuetud. Id quod de jure non recipiendi appellationem in causa criminali, nominatim sentit Ernestus Cothman. Resp. 14. num. 6. & seqq. 31

ILLVSTRIS *Quæstionis*, DE Fructibus rei alienæ, quam quis bona, vel mala fide possidet,

Explicatio brevis, & dilucida.

SUMMARIA.

1 *DEfinitio fructus.*
2 *Accessio est genus fructus.*
3 *Accessionis nomen quandoque opponitur fructui, & ab hoc distinguitur.*
4 *Quid fructus, quid item accessionis nomine strictè sumpto significetur.*
5 *Generali fructus appellatione continentur etiam pensiones, usura, vectura.*
6 *Partus hominis non est in fructu.*
7 *Fructus ad utilitatem hominis est inductus.*
8 *Distinctio fructuum in eos, qui ex corpore rei proveniunt, & eos, qui iure percipiuntur, ex alia causa.*
9 *Fructus distinguuntur à Dd. in naturales & civiles.*
10 *Fructus distinguuntur rectiùs in fructus ita propriè dictos, & quasi fructus.*
11 *Distinctio fructuum, qui propriè dicuntur fructus.*
12 *Interpretes distinguunt fructus naturales, in merè naturales, & industriales.*
13 *Corasius vitiosam dicit eam fructuum distinctionem.*
14 *Defenditur contra Corasium isthac naturalium fructuum distinctio, qua deducuntur in merè naturales, & industriales.*
15 *Respondetur ad Corasii argumenta quibus improbat, communem fructuum naturalium distinctionem.*

16 Lat.

16 *Lac, pilus, lana, agni, hædi, vituli, &c. perperam accensentur à Dd. fructibus merè naturalibus.*
17 *Naturalium fructuum distinctio commodior, in eos, qui sua sponte nascuntur, & eos, qui nascuntur accedente, & cooperante hominis vel cura, vel cultura.*
18 *Qui fructus naturales curam, qui culturam desiderent.*
19 *Vva qualis sit fructus, num merè naturalis, vel industrialis?*
20 *Vinum est fructus industrialis.*
21 *Oliva, & oleum sunt fructus industrialis.*
22 *Quasi vsusfructus est vsura, pensio, merces, vectura iumentorum, cæteraq; id genus obventiones.*
23 *Quasi fructus quidam appellant fructus ciuiles, quidam industriales, quidam industrialissimos.*
24 *Fructuum alii futuri sunt, alii pendentes, alii percepti, alii non percepti, alii consumpti.*
25 *Fructus futuri qui sint.*
26 *Pendentes fructus qui sint,*
27 *Fructus pendentes dicuntur etiam stantes fructus.*
28 *Percepti fructus qui sint.*
29 *Fructus non percepti qui sint.*
30 *Consumpti qui dicantur.*
31 *Quos fructus faciat suos proprietatis dominus: quos item possessor rei alienæ.*
32 *Regula de fructibus rei propriæ.*
33 *Fœtus animalis est eius, cuius est animal.*
34 *Dominus rei fructus eius pendentes suos facit, quamuis à bonæ fidei possessore sint sati, & ad maturitatem vsq; culti.*
35 *Fructus pendentes sunt pars fundi.*
36 *Distinctio bonæ, & malæ fidei possessoris, quò ad fructus perceptos.*
37 *Malæ fidei possessor nullos fructus suos facit, sed omnes rei Domino restituere tenetur; siue titulum possessionis suæ habeat siue non habeat titulum: siue naturales sint fructus, siue industriales, siue ciuiles; siue extent, siue sint consumpti.*
38 *Malæ fidei possessor tenetur etiam de fructibus, quos non percepit, Dominus autem honestè percipere potuisset.*
39 *Coniunx non tenetur restituere fructus prædii à coniuge donati.*
40 *Coniunx mala fide possidet rem à coniuge donatam.*
41 *Quod vir vxori donavit, aut hæc illi, pro possessore possidetur.*
42 *Pro possessore qui possidet, mala fide possidet.*
43 *Bonæ fidei possessor suos facit fructus naturales perceptos, quos suis operis, puta cultura, vel cura percepit.*
44 *Bonæ fidei possessor, quò ad fructuum perceptionem, loco domini penè est.*

45 *Bonæfidei possessor prædiorum in percipiendis fructibus idem iuris habet, quod Dominis prædiorum est tributum.*
46 *Bonæfidei possessor alienorum prædiorum industriales fructus facit suos, statim, & quidem pleno iure.*
47 *Quæstio dubia, an bonæfidei possessor extantes adhuc fructus industriales ita suos faciat, vt ipsos Domino restituere non teneatur?*
48 *Textus adducuntur, quibus bonæfidei possessori tribuuntur consumpti tantum fructus naturales, non etiam extantes fructus.*
49 *Donellus dissentit.*
50 *Extantes fructus industriales sunt bonæfidei possessoris, donec evincantur per Dominum.*
51 *Nudæ proprietatis Dominus interim efficitur Dominus fructuum, qui postea ad vsufructuarium transeunt iure dominii.*
52 *Bonæfidei possessor ante consumptionem fructuum industrialium Dominus eorum non est perfectè.*
53 *Quæstio difficilis, an bonæfidei possessor fructus suos faciat merè naturales?*
54 *Interpretes mirè variant in conciliandis duorum Iurisconsultorum, Pauli, & Pomponij, responsis.*
55 *Glossæ, Duareni, & Donelli conciliatio: quæ reijcitur.*
56 *Alia conciliandi ratio, quæ probatur etiam VVesenbecio: quæ similiter respuitur.*
57 *Reijcitur Lorioti interpretatio.*
58 *Quidam distinguunt inter lucrativum, & onerosum titulum possessionis; qui improbantur.*
59 *Cuiacij sententia de fructibus mere naturalibus.*
60 *Reijcitur Cuiacij sententia.*
61 *Consumptos fructus naturales restituendos esse à bonæfidei possessore malè negat Cuiac.*
62 *Generalis oratio generaliter & sine distinctione intelligi debet.*
63 *Bonæfidei possessor an restituat naturalium fructuum consumptorum æstimationem.*
64 *Bonæfidei possessor hereditatis restituere tenetur fructus naturales etiam consumptos, si locupletior ex illis sit factus.*
65 *Fructus hereditatem augent, & eiusdem corpus censentur.*
66 *Reijcitur sententia Goveani, & Gothofredi.*
67 *Arij Pinoli opinio de l. Bonæfidei. ff. de adquir. rer. domin. & l. Fructus ff. de vsuris.*
68 *Improbatur Arij Pineli opinio.*
69 *Antonij Fabri iudicium de eisdem legibus: Idq; reijcitur.*
70 *Domini Vultei opinatio de legibus eisdem.*

71 Quidam

71 *Quidam sentiunt manifestam esse pugnam inter Paulum, & Pomponium Iurisconsultos de fructuum naturalium dominio.*
72 *Nova Autoris sententia de eorundem Iurisconsultorum responsis.*
73 *Prius posita speciei subiectum genus restringendum est ad species alias, quae instar obtinent praemissa speciei.*
74 *Respondetur ad argumenta contraria.*
75 *Bonae fidei possessor quando incipiat possidere mala fide, non est omnino iuris certi.*
76 *Aliud est percipere fructus, longe aliud fructus percipiendo suos facere.*
77 *Fructus percipere quis dicatur.*

FRUCTUS est accessio Rei, ex ipso Rei corpore, vel occasione eius, ad hominis vtilitatem proveniens. 1

Genus fructus est accessio, vt evincitur ex l. Imperator 50. in fin. ibi, *ex accessionibus hereditariis*, ff. ad Senatusconsultum Trebel. & docet Cuiac. in paratit. ff. de vsuris. 2

Quandoq; tamen accessionis nomen specialius accipitur, & fructui opponitur, vt in l. 2. §. 1. ibi, fructus, & accessiones, ff. de in diem addict. & l. si servus 61. §. Idem dicendum, ibi, acccessiones, & fructus, ff. de furtis. 3

Quibus locis fructus est ea accessio, quae ex ipso Rei corpore provenit, per accessiones verò significantur pensiones, vsurae, vecturae, mercedes, quae fructus propriè non sunt, l. vsura. 121. vbi Gœddaeus, ff. de verb. signific. 4

At quià hae obventiones generali fructus appellatione continentur, l. si navis. 62. in princ. ff. de rei vind. idcircò proposita defi- 5

nitione eas etiam comprehēdere volui. Maximè cum in quæstione de adquirendis fructibus harum quoque ratio habeatur, vt ex proximè citato loco, & l. vsuræ 34. ibi, Et meritò non debent à fructibus separari. ff. de vsuris evincitur.

6 Est autem fructus *accessio rei, non personæ*, puta *ancillæ*. Est enim absurdum hominis partum in fructu esse; cum omnes fructus rerum natura hominis gratiâ comparaverit, l. vetus 68. ff. de vsufruct. l. In pecudum 28. §. 1. ff. de vsur. l. Ancillarum 27. in princip. ff. de petit. heredit. l. Mulier 22. §. Sed enim. ff. ad Senatusconsultum Trebel. & §. In pecudum, vers. Partus verò ancillæ, Inst. de rer. divis.

7 Id verò intelligitur esse in fructu, quod ad hominis vsum est inductum, l. pen. ff. de vsu, & vsufruct. legat.

8 Cæterum fructus in duplici sunt differentia; Aut enim naturâ proveniunt ex corpore ipso; aut jure percipiuntur, non ex rei corpore, sed alia ex causa, l. Si navis 62. in pr. ibi, *Non natura provenit, sed jure percipitur*, ff. de rei vindic. l. fructus 4. ibi, *percipiendo ex re*, ff. de vsur. l. vsura 121. ibi, *in fructu non est; quia non ex ipso corpore est*. ff. de verborum significat.

9 Illos vocant naturales, hos civiles, Molinæus ad consuetud. Paris. §. 1. gloss. 1. in verb. *le feign. feodal*. num. 33. Hotoman. lib. quæst. illustr.

illustr. quæst. 40. pag. 289. Pinelus verò in l. 2. C. de rescind. vendit. part. 2 cap. 4. num. 52. & Menoch. libr. 2. de arbitr. jud. cent. 3. casu 201. nu. 27. & seqq. hos fructus industriales rectius appellari volunt.

At quia vsuræ, vecturæ, pensiones, merce- 10
des, &c. quæ Dd. civiles aut industriales sunt fructus, in jure nostro negantur esse fructus, l. vsura 121. ff. de verbor. signif. vicem tamen fructuum obtinere dicuntur l. vsuræ 34. ff. de vsur. & pro fructibus accipiuntur l. Prædiorum 6. ff. d. tit. rectius distinguuntur fructus in fructus ita propriè dictos, & quasi fructus; ad exemplum scilicet contractuum, & delictorum.

Prioris generis fructus, quos naturales 11
vocant, & propriè fructus appellantur, in species secantur tres: Aut enim sponte sua, per se, & citra hominis notabilem industriã proveniunt, vt poma, pyra, herba, ligna, & similia, l. fructus 45. vers. Nam si ff. de vsur.

Aut percipiuntur à pecudibus, vt sunt fœtus, lac, pilus, lana, &c. d. l. In pecudum 28. ff. de vsuris. Atque hi fructus curam hominis desiderare dicuntur, l. Fructus, 7. §. Non solum, 9. ff. solut. matrim.

Aut verò potissimum diligentiã, & operã hominum proveniunt: puta serendo, vt sunt frumenta, legumina, &c. d. l. fructus 45. in princip. ff. de vsuris. l. Bonæfidei 48. in princ. ff. de

ff. de adquir. rer domin. & §. si quis autem. Instit. de rer. divis.

12 Primæ & secundæ speciei fructus simpliciter naturales appellant: Tertiæ speciei fructus vocant industriales, Molin. ad consuetud. Paris. dict. §. 1. col. 1. nu. 33. Petr. Costal. in d. l. Fructus. 45. ff. de vsur. Ar. Pinel. in l. 2. C. d rescind. vendit. part. 2. cap. 4. n. 52.

13 At Coras. lib. 5. Miscell. cap. 9. hanc Interpp. distinctionem inconsultò, & contra naturalem justitiam civilemque rationem confictam ait, proindeque eam prorsus reijcit; ac omnes fructus, etiam quos industriales appellant, verè naturales esse fructus existimat.

14 Cæterum licet quoque industriales fructus revera naturales sint; quia tamen, alia est conditio horum fructuum, quàm merè naturalium, si eorum spectes non modò productionem, sed & dominium, l. fructus 45. ff. de vsufruct. vt infra plenius explicabitur, non est omnino contemnenda hæc fructuum distinctio: non quidem eò, quod plus operetur in producendis his fructibus factum hominis, quam ipsa natura, id quod tamen Menoch. velle videtur libr. 2. de arbitr. jud. cent. 3. casu 210. nu. 4. Sed quia non sola natura agit in producendis his fructibus, sed præter naturam, hominis quoque opera, sive factum hic operatur, etsi naturales ex eo appellan-

pellandi sint hi fructus, cum tamen ad naturæ opus ipsa quoque hominis accedat industria, sine qua nihil hic agere natura potest, haud ineptè industriales appellantur fructus.

Sic juramentum judiciale, quamvis etiam ex voluntate partis vtriusq; procedat, l. jusjurandum 17. in princ. l. sed etsi servus, 25. in fin. & l. seq. §. vltim. ff. de jurejurand. Cuiac. in paratit. ff. dict. tit. & lib. 4. de feudis, Tit. 36. quia tamen ad partium voluntatem illud etiam accedit, quod defertur in judicio, judice illud adprobante, idcircò rectè distinguitur à voluntario jurejurando in Rub. Digestor. de jurejurand. siquidem alia sit conditio voluntarii, alia judicialis juramenti, d. l. jusjurandum 17. in princ. junct. l. jus jurandum 34. §. Datur autem, & l. Manifestæ, 38. ff. dict. tit.

Nihil decerpunt huic sententiæ argumenta Corasii. Primò ait; naturam non minus subministrare necessaria ad procreationem, nutrimentum, & conservationem frumenti, vini, olei, aliorumque fructuum, quos industriales vocant, quam ad productionem pomi, nucis, ficus, glandis, & cæterorum, quos naturales dicunt. Cæterum axioma hoc trium comparatorum terminorum falsum esse evincitur vel ex eo, quod sola operatur natura in producendis fructibus, quos Dd. vocant naturales; cum tamen in edendis fructibus, 15

quos

quos industriales appellant, factum sive opera hominis cooperetur, & ministretur naturæ. Nunquam enim ager aliquis frumenta produceret, nisi agricola sementem in eo fecerit.

Alterum Corasii argumentū tale est; Partus mulieris quondam ex accidente sterilis, sed fœcunditati pharmaco, arte & studio Medici restitutæ, non dicitur partus industrialis; Ergo nec fructus terræ opera & industria agricolæ proveniens, industrialis dicitur fructus. Verùm licet partus ille nusquam à quoquam Autore diceretur industrialis, nihil tamen vetat, quo minus ita vocetur; siquidem industria & arte Medici sterilitas mulieris sit abacta & remota. Ut hominis memoria, quę naturalis est, haud ineptè ex eo, quod artificio quodam excitata, perspicatior, & acutior reddita est, artificialis dicitur memoria, sic fructus, qui industria, & opera hominis provenit, commodè etiam industrialis fructus appellatur.

Tertium Corasii argumentum est huiusmodi: Etsi Paulus plantavit, etsi Apollo rigavit, id est, in Ecclesia Dei, fidem Christianam, docendo fideliter verbum Dei, uterque inculcarit operosè, quia tamen Deus est, qui incrementum dedit, non ab ipsis verbi divini præconibus appellandi sunt ipsorum auditores, & discipuli. 1. Corinth. 3. c. cum

sit

fit extr. de decimis. Ergo nec fructus, qui facto, & operâ hominis proveniunt, dicendi sunt industriales, sed naturæ accepti ferendi, & naturales dicendi sunt.

At respondendum, malè hanc institui cōparationem propter diversum respectum, qui est inter Ecclesiæ ministros, vnum eundemquè Evangelium, simili doctrina, & puritate eadem docentes, atque inter agricolas sementem facientes ad fructus agri producendos. Hæc enim fructuum distinctio necessaria est, propter adquisitionem eorundem, cum bonæ fidei possessor suos faciat fructus illos, qui ex facto suo quæruntur, non etiam fructus merè naturales. Sed Auditores verbi divini non ipsis quæruntur doctoribus, & ministris verbi, sed omnes soli Deo, vt proinde hic opus non sit, vt appellemus verbi auditores ab ipsis Ecclesiæ Doctoribus, qui similiter synceram doctrinam Ecclesiæ tradunt.

Quartum Corasii argumentum tale est: Natura omnes, omnes inquam, fructus hominum gratia comparavit, d. l. In pecudum 28. §. 1. ff. de vsuris, & dict. §. In pecudum, Instit. de rerum divis. Ergo & illi sunt fructus naturales, quos natura ex hominis facto producit. Sed respondendum, quando Dd. distinguunt industriales fructus à naturalibus, non negant industriales esse naturales; sed quia in

adquirendis fructibus alia eſt conditio illorum naturalium fructuum, qui ſua ſponte, abſque hominum facto naſcuntur, alia item illorum naturalium fructuum, qui non ſua ſponte naſcuntur, ſed factum hominis deſiderant, d. l. fructus 45. ff. de vſur. idcirco illos ſimpliciter naturales appellant, hos verò induſtriales. Omnes agnati ſunt quoque cognati, juris tamen conditores agnatos diſtinguunt à cognatis, l. Juriſconſultus 10. §. Inter agnatos, ff. de gradib. & adfinib. & §. 1. Inſtit, de legit. agnator. tutel. Omnis item arrogatio eſt adoptio, nihilominus tamen jura noſtra hanc ab illa ſpecie diſtinguunt, l. 1. §. 1. ff. de adopt.

Quintò argumentatur Coraſius in hunc modum: Illud ſpectandum eſt, quod principaliter agit, & operatur, atque ab eodem res denominanda, l. ſi quis 4. ff. de rebus credit. l. Navis adverſa 6. ff. de lege Rhodia de jactu. l. 1. §. Idem Pomponius, ff. depoſiti, c. Etſi queſtiones, extr. de rer. permutat. l. Queritur 10. ff. de ſtatu hom. §. Eſt & aliud, Inſt. de donationib. Natura autem eſt proxima, & prima cauſa procreationis fructuum, non hominis induſtria. Ergo fructus ex induſtria, & facto hominis provenientes, naturales, non induſtriales nominandi ſunt. Sed minor neganda in fructibus, quos induſtriales appellamus. Ad horum enim fructuum productio-

ductionem primum intervenit hominis opera in agrorum cultura, & satione, postmodum operatur ipsa natura. Ad primordium autem rei posterior formatur eventus l. vn. in fin. C. de imponenda lucrat. descript. lib. 10. & initium cuiusque rei potissima pars est, l. 1. ff. de orig. jur, ac in omnibus rebus, & negociis, initium præcipuè attendendum est, & secundum illud de tota re sive negocio judicandum, l. Pomponius 15. ff. de neg. gest. l. 3. §. scio etiam, ibi, Initio inspecto. ff. de minorib. l. 1. §. Idem Pomponius. ff. depositi. l. Si procuratorem 8. §. in pr. ff. Mandati. l. In ratione 11. §. Si filio. ff. ad leg. Falcid. l. Qui cum maior 14. §. 1. ff. de bon. libert. l. qui id, quod 33. in prin. ff. de donat. l. sequitur. 4. §. De illo. l. Justo 44. §. Etsi possessionis, ff. de vsucap. l. Clam possidere, 6. in princ. & ibi Jas. ff. de adquir. vel amitt. poss. Bart. in l. Naturaliter 5. ff. de vsucap.

Sextò ita Corasius arguit: Non dicitur industriale lumen, quod ædibus meis ex facto vicini obvenit, deponentis altum suum ædificium, quod antea ædes meas obscurabat, Ergo nec industrialis dicendus est fructus, qui ex facto, & industria hominis nascitur. Sed respondendum, hæc similia non esse; quippe cum ad lumen solis, per se considératum, nihil factum hominis conferat; Ad procreationem verò fructus, quos naturales vocant, hominis factum, & industria con-

N ducat.

ducat. Cùm ergò hæc similia non sint, de vno ad aliud malè arguitur, l. Qui negocia 34. in pr. verſ. Nec huic ſimile eſſe, ff. Mandati.

16 Quamvis autem iſthæc fructuum, qui ex facto hominis naſcuntur, appellatio, contra Coraſium defendi poſſit, mihi tamen neutiquam probatur, quod cum cæteris Dd. etjam Menoch. de recuperand. poſſ. Remed. 15. num. 577. & lib. 2. de arb. jud. cent. 3. caſu 201. num. 26. merè naturalibus accenſet etjam fructus animalium, vt ſunt lac, pilus, lana, agni, hædi, vituli, &c. quippe cum hi fructus propter curam hominis, quam deſiderant, bonæfidei poſſeſſoris ſint d. l. In pecudum 28. ff. de vſur. l. Bonæfidei 48. §. Et ovium 2. ff. de adquir. rer. dom. Cùm tamen merè naturales fructus non ſint bonæfidei poſſeſſoris, ſed domini, d. l. fructus 45. ff. d. t.

17 Unde potius diſtinguendi ſunt fructus naturales in duo genera; quorum prius contineat eos fructus, qui ſua ſponte naſcuntur, vt ſunt poma, pyra, nuces, caſtaneæ, glandes, &c. Poſterius autem fructus illos, qui naſcuntur accedente, & cooperante hominis vel cura, vel cultura.

18 Curam hominis deſiderant fructus pecudum, vt ſunt, agni, hædi, vituli, ſucculæ, lac, pilus, lana, &c. l. fructus 7. §. Non ſolum, ff. ſolut. matrim. Culturam exigunt fructus, qui ſerendo proveniunt, vt ſunt frumenta, legu-

legumina,&c. d. l. fructus 45. ff. de vsuris, l. Bonæfidei 48. in princ. ff. de adquir. ter. dom. junct. si quis autem, Instit. de rer divis.

19 Cæterum dubitatur de quibusdam fructib. sintne prioris, vel posterioris generis; sive, vt cum Dd. loquar, merè naturales, vel industriales fructus. Et inprimis de uva quæstio controversa est. Alii merè naturalibus, alii industrialibus eam connumerant fructibus, vt patet ex Pinel. ad l. 2. de rescind. vend. part. 2. cap. 4. num. 25. vers. specificè autem, pag. 391. Menochio libr. 2. de arbitr. judic. cent. 3. casu 201. numer. 22. Ego autem uvam non merè naturalibus, sed industrialibus, connumerandam existimarem fructibus; tum quia ipsæ vites non nisi plantatæ nascuntur aliquo in solo; tum quia nisi vineæ colantur studiosè, paucis annis pereunt vites, & desinit esse vinea; tum etiam, quia impensæ, quæ in colendis vineis fiunt, etiam necessariæ dicuntur impensæ, non vtiles tantum, l. vtiles 39. in princ. ibi, aut in novelleta. ff. de petit. heredit. tum postremò quia uvæ lectæ bonæfidei possessoris esse dicuntur, in l. si eius 78. ff. de rei vindic.

20 Quia verò ipsa uva est fructus industrialis, dubium est nullum, quin & vinum pro fructu industriali sit censendum, id quod sensit etiam Bart. in l. Ex diverso 35. ff. de rei vind. & consil. 125. Quæstio talis est, nu. 2. lib. 1. Bald.

 in l. An-

in l. ancillæ, num. 14. C. de furt Menoch. lib. 2. de arb. jud. cent. 3. casu 201. n. 22. & seq.

21 Quod de uvis, & vino diximus, exaudiendum quoque est de olivis, & oleo, tum per rationes antea adductas, tum per text. in d. l. si eius 78. ff. de rei vind. tum etiam autoritate Dd. quos refert, & sequitur Menoch. dict. casu 201. num. 25.

22 Quasi fructus est accessio, quæ jure percipitur, non ex rei corpore, sed aliunde; puta ex obligatione; vt est vsura, pensio, merces, vectura jumentorum, cæteræq; id genus obventiones, d. l. vsura 121. ff. de verb. sign. & d. l. si navis 62. in princ. ff. de rei vind. Quæ quia pro fructibus sunt l. prædiorum 36. ff. de vsur. & vicem fructuum obtinere dicuntur, l. vsuræ 34. ff. d. tit. & in quæstione de adquisitione fructuum, non separantur à fructibus, d. l. vsuræ, haud ineptè quasi fructus dicuntur, cum propriè fructus non sint. dict. l. vsura 121. ff. de verb. signif. & d. l. si navis 62. ibi, *vectura sicut vsura non natura pervenit,*
23 *sed jure percipitur.* ff. de rei vind. † Interpretes, vt & supra dixi, vocant civiles fructus, aliqui appellant industriales, vt Bart. in l. vlt. C. de jure fisci, Pinel. in l. 2. C. de rescind. vendit. part. 2. cap. 4. num. 52. Menoch. dict. casu 201. num. 27. & seqq. Sed Baldus vocat industrialissimos fructus in l. si traditio, in fin. ff. de actionibus empti & vend.

Est &

Est & alia fructuum distinctio, qua secantur in fructus futuros, in pendentes, in perceptos, in non perceptos, & in consumptos. 24

Futuri fructus sunt, qui nondum producti, aut formati, sequentibus annis proventuri sperantur, l. nec emptio 8. in pr. ff. de contrah. empt. l. quod in rerum 24. ff. de legat. 1. l. Et quæ nondum 15, ff. de pignorib. & hypoth. l. Interdum 73. in prin. ff. de verb. oblig. 25

Pendentes fructus sunt, qui jam quidem nati, & formati sunt, sed nondum de re ipsa percepti: Veluti qui nondum sunt collecti, sed terra adhuc continentur, sive terræ, viti, arborivé cohærent, l. fructus pendentes, 44. ff. de rei vindicat. l. Arboribus evulsis 12. §. Julianus, l. si pendentes 27. ff. de vsufructu. Atq; † hi fructus aliâs dicuntur fructus stantes, l. fructus 7. §. interdum. ff. solut. matrimon. l. si apes 26. ff. de furtis. 26 27

Percepti fructus appellantur, quos quis jam adeptus est; vt si sint ab ea re, vnde percipiuntur, separati, quamvis adhuc humi jaceant, nec ex illis species aliqua facta sit, l. in ædibus 9. §. ex rebus, ff. de donationibus, l. si eius 78. ff. de rei vindic l. qui scit 25. §. 1. ff. de vsur. l. si fructuarius messem 13. ff. quibus modis vsufruct. amitt. 28

Fructus non perceptos dicimus, qui quidem adquisiti non sunt, honestè tamen percipi potuerunt, l. fructus non modo perce- 29

 pti, 33.

pti, 33. ff. de rei vindicat. l. cum legatus 39. §. fructus ff. de leg. 1.

30 Denique fructus consumpti vocantur, qui amplius non extant apud ipsum, qui percepit eos. §. si quis autem à non domino, h. t.

31 Dispiciendum deinceps, quos fructus faciat suos rei Dominus, id est proprietatis Dominus, & quidem is, qui plenum rei dominium habet Nudæ enim proprietatis, quod ad proprietatis nomen attinet, fructus nullus intelligi potest, l. videamus 19. in prin. ff. de vsur. Quos item fructus faciat suos possessor rei alienæ.

32 Est autem notanda hic certissima illa juris regula: Quod ex meo natum est, meum est, sive sit animal, sive prædium sit, vnde pervenit. §. Item ea quæ ex animalibus, hoc tit. l. 2. & l. item quæ 6. ff. de adquir. rerum domin. l. Qui scit 25. in princ. & §. 1. ff. de vsur. l. solum 49. §. 1. ff. de rei vindicat.

33 Non tamen hic masculum animal spectari debet sed id quod fœtum edidit. Si enim, vt Pomponius scribit, equam meam, equus tuus prægnantem fecit, non est tuum, sed meum, quod natum est, l. Idem Pomponius, 5. §. idem scribit. ff. d. t.

34 Neque refert ipse Dominus possideat rem suam, vel alius possideat. Et si pendent fructus, indistinctè sunt Domini rei illius, cui cohærent, licet à bonæ fidei possessore sati, & matu-

maturitatem vsque culti fuerint. l. si fundi, 53. ff. de rei vindicat. l. Qui scit 25. ff. de vsuris. Fructus † enim pendentes pars fundi videntur, l. fructus 44. ff. de rei vindic. † Quod 35
36
verò attinet perceptos fructus, distinguendum est inter bonæ, & malæ fidei possessorem. Nam † malæ fidei possessor nullos fru- 37
ctus suos facit, sed eos omnes Domino restituere tenetur, l. certum 22. C. de rei vindic. siue titulum possessionis suę habeat, siue non habeat titulum, l. Ait prætor 10. §. per hanc. ff. Quæ in fraudem creditor. l. fructus 33. & l. si navis 61. §. fin. ff. de rei vindic. l. 1. in fin. C. de petit. heredit. d. §. & si in rem. vers. illorum autem fructuum. 1. tit. de offic. judic. l. 2. C. de fructib. & litium expensis, qui textus omnes generaliter, & indistinctè loquuntur: siue item fructus sint naturales, siue industriales, siue civiles, l. Domum 5. C. d. tit. siue extent, siue consumpti sint, §. siquis à non Domino, hoc tit. n. l. 3. C. de condict. ex leg. siue denique percepti fuerint, siue non, honestè tamen percipi potuerunt, §. & si in rem, vers. illorum autem fructuum, 6. tit. de offic. judic. l. fructus 33. l. si navis 62. §. fin. ff. de rei vindicat. l. 1. & ibi Cuiac. C. de fide & jure hastæ lib. 10. Quo † casu spectanda est 38
Domini persona, non possessoris, & in tantum condemnandus malæ fidei possessor, quantum Dominus honestè percipere po-

tuiſſet, d. l. ſi navis 62. §. vlt. ff. de rei vindic. l. cum ſervus 39. §. fructus autem, ff. de legat. 1. cap. gravis, extr. de reſtitut. ſpoliator. vide Menochium de Recuperand. poſſeſſ. Remed. 1. num. 414. & ſeqq.

39 Excipitur tamen conjux, qui fructus ex re à conjuge ſibi donata, operis ſuis adquiſitos reſtituere coniugi non tenetur, licet eius rei malæ fidei poſſeſſor ſit, l. fructus 45. ff. de vſur. Non enim amarè, nec tanquam inter infeſtos prohibitæ donationis jus tractandum eſt, ſed vt inter coniunctos maximo affectu.

40 Quod autem coniux malæ fidei poſſeſſor ſit rei donatæ ſibi à coniuge, patet inde, quod donatio inter virum & vxorem prohibita eſt, tot. tit. ff. & C. de donat. inter virum &
41 vxorem. Unde † quod vxor viro, aut vir vxori donavit, pro poſſeſſore poſſidetur, l. quod vxor 16. ff. de adq. vel amitt. poſſeſſ. l. Nec vl-
42 lam 13. §. 1. ff. de heredit. petit. † Pro poſſeſſore autem qui poſſidet, mala fide poſſidet, l. Pro herede 11. §. vltim. ff. de petit. heredit. Cuiac. ad Rubric. Tit. ff. pro herede, vel pro poſſeſſore. Idque etiam haud obſcurè arguit. l. quia quod, 6. ibi, id aut ſine cauſa, aut ex injuſta cauſa, & l. ſi vxor, 19. ibi, hoc enim bonæ fidei poſſeſſoribus conceſſum eſt, ff. de donat. inter virum & vxor. & l. per ſervum 57. ff. de adquir. rer. dom.

Ad

Ad bonæfidei possessorem quod attinet, 43
is suos facit fructus naturales perceptos,
quos suis operis, puta culturâ, vel curâ sua
adquisivit, & jam percepit, §. si quis à non domino, hoc tit. n. l. bonæfidei 48. ff. de adquir.
rer. dom. l. fructus 45. ff. de vsur. † Bonæfidei 44
enim possessor, quod ad fructus attinet, loco
domini penè est, d. l. Bonæfidei 48. in princ.
ff. de adquirend. rerum domin. Et † in perci- 45
piendis fructibus idem juris habet, quod dominis prædiorum tributum est, l. qui scit, 25.
§. 1. vers. porrò bonæfidei, ff. de vsur.

Et quidem ipsâ perceptione eiusmodi 46
fructus statim suos facit, & pleno jure, l. In
pecudum 28. in princ. ibi, statim pleno jure
sunt bonæfidei possessoris, ff. de vsuris, d. l.
bonæfidei 48. in princ. ibi, statim vbi à solo
separati sunt, ff. de adquir. rer. domin. l. 4. §.
lana, ibi, sed statim emptoris fit, ff. de vsucapionib. l. si eius fundi 78. ff. de rei vindic. Ex
quibus locis omnibus intelligitur, quod ipsa
perceptione bonæfidei possessor fructus suos
faciat, nec opus esse ad dominii adquisitionem consumptione fructuum.

Sed controversæ admodum quæstionis est, 47
an hoc de consumptis tantum industrialibus
fructibus intelligendum sit, an verò etiam
extantes ita suos faciat bonæfidei possessor,
vt ipsos Domino restituere non teneatur?
Cum pleno jure, & quidem statim ipsa per-

ceptione, etiam ante consumptionem, suos faciat bonæfidei possessor industriales fructus: & loco domini penè sit, quod ad fructus attinet: atq; ipsi in fructibus percipiendis hoc tributum sit, quod domino, vt jam ostendi, sanè dicēdum omninò videtur, quod nec extantes industriales fructus bonæfidei possessor domino rei cogatur restituere.

48 At sunt textus nonnulli expressi, qui bonæfidei possessori consumptos tantum fructus industriales largiuntur, non etiam extantes, veluti textus dict. §. si quis à non domino, vers. & ideò, h.t.n. §. & si in rem, vers. si verò bonæfidei, ibi, neq; consumptorum. tit. de offic. jud. l. 4. § post litem, ibi, si eos cōsumpsit, ff. finium regundor. & d.l. certum 22. ibi, bonæfidei verò extantes, C. de rei vindicat. d. l. 4. §. lana, ibi, si consumpti sint. ff. de vsucapionibus, vbi conditionalis illa enunciatio summè notanda est. Et motus hisce juris textibus non dubito affirmare, etiam bonæfidei possessorem fructus quoque industriales extantes, & nondum consumptos domino restituere teneri; Idq; scribit etiam Cuiac. in notis prioribus ad §. si quis à non domino h. t. n. & ibidem etiam Wesenbec. domino. Idem Cuiac. lib. 11. observ. cap. 39. & Tract. ad Africanum. 7. in explicatione l. quæsitum 40. ff. de adquirend. rer. dom. Et Ant. Faber. lib. 4. coniect. c. 17. & Hermannus Vulteius lib.

lib.disceptat.Scholastic.c. vlt. licet † Donellus secus sentiat in Commentario de fructib. & lib.4.Comment.de jur.civili,cap.26. 49

Neque hanc profligat sententiã, quod ipsa fructuum perceptione statim dominus eorundem efficitur bonæfidei possessor,& quidem pleno jure. Id enim ad facultatem,& jus consumendorum fructuum pertinet, non etiam ad dominij perpetuitatem; quippe cũ extantes apud se fructus bonæfidei possessor domino vindicanti rem suam præstare teneatur,d.l.certum est 22. C.de rei vindicat.cum similibus antea citatis juris fundamentis. Et hoc est, quod Paulus Jurisconsultus in d. l. Bonæfidei 48. in princ. ff. de adquir. rer.dom. scribit, bonæfidei possessorem percipiendo fructus ex aliena re suos interim facere. Interim, id est, donec de evincenda re lis contestata fuerit,d.l.qui scit,25.§. fin. ff. de vsur. d. l. 2. C.de fructib.& litiũ expens.d.l. certum 22. C.de rei vindic.d.l.4.§.2.ff.fin.regundor. 50

Sicaliàs etiam nudę proprietatis dominus interim,i.e.ad tempus,efficitur dominus fructuum, quorum dominium etiam sine facto ipsius proprietarii postea ad vsufructuarium trãsit,l.arborib.12.si fur,ff.de vsuf. Licet ergò ipsa † perceptione suos faciat fructus bonæfidei possessor,ante consumptionẽ tamen non sunt perfectè ipsius. Non enim videtur perfectè cuiusq; id esse, ꝙ ex casu auferri potest l. omnes 139.§.1.ff.de R.J. Natu- 51 52

53 Naturales verò fructus, quia sua sponte absque notabili culturâ vel curâ proveniunt, suos an faciat percipiendo bonæfidei possessor, quæstionis est difficilis. Paulus Jurisconsultus in d. l. bonæfidei 48. in princ. ff. de adquir. rer. domin. eiusmodi etiam fructus bonæfidei possessori tribuere videtur. At Jurisconsultus Pomponius in d. l. fructus 45. ff. de vsur. non fieri hos fructus bonæfidei possessoris scribit.

54 In conciliandis autem horum JCtorum responsis Interpretes nostri mirum in modum variant, vt vel ex vno Pinelo in l. 2. C. de rescindend. vendit. part. 2. cap. 4. n. 53. & aliquot seqq. animadvertere licet; vbi diversorum diversas conciliandi rationes, & quidem
55 sex ordine adducit, & excutit; quarum † secunda est glossæ & asseclarum ipsius; inter quos etiam est Duaren. ad Titul. de Nautico fœnore, cap. Qui fructus in restitutionem veniant, Item Donel. lib. 4. commentar. cap. 25. pag. 290. circa finem, qui tradunt, Paulum Jurisconsultum loqui tantum de industrialibus fructibus, & verbis; *Sed omnes* significare fructus industriales, qui non ipsiusmet possessoris diligentia & opera pervenerunt, sed alterius industriâ & operâ: Pomponium verò de naturalibus agere fructibus. Sed hāc concordandi rationem rectè Pinel. dicto loco nu. 54. reijcit.

Alii

Alii verò, quorum meminit Pinelus n. 55. 56
affirmant, bonæfidei possessorem, qui titulum possessionis suæ non habet, vel reprobatum titulum habet, percipiendo non suos facere fructus merè naturales; Eum verò, qui habet titulum justum, percipiendo lucrari eiusmodi fructus. Atq; ita sentit etiam Wesenbec. in §. si quis autem à non Domino, n. 11. hoc tit. n. vbi d. l. fructus 45. ff. de vsuris, particulam, *Cuiuslibet*, non vniversaliter, sed distinctivé & partitivé accipiendam putat; quasi dicat Pomponius, non cuiuslibet bonæfidei possessoris fieri fructus naturales, sed alicuius, qui videlicet titulum habeat; alicujus verò non, qui scilicet titulo careat. Atqui & hunc componendæ huius controversiæ modum non injuria reprobat idem Pinelus dicto loco, num. 56. & Herman. Vulteius lib. disceptar. Scholasticar. cap. vlt. pag. 236.

Idem Pinel. dicto loco n. 57. & post eum 57
Hermannus Vulteius dict. lib. discept. Scholasticar. cap. vlt. non immeritò etiam profligat interpretationem Lorioti, qui dicit in bonæfidei emptore, de quo Paulus Jurisconsultus loquitur, speciale jus receptum esse; Pomponium verò loqui generaliter de bonæfidei possessore, quæ generalis definitio in bonæfidei emptore officium suum perdat.

Curtius Burgensis libr. 2. coniectur. ad 58
cap. 44. item Ludovic. Vitalis lib. 1. lectionum,

lus, & Pōponius expreſsè de ipſa perceptione horum etiam fructuum loquitur; non loquitur alter, vt Paulus, de perceptione, alter, veluti Pomponius de reſtitutione conſumptorum. Et affirmat Paulus in d. l. bonæfidei, 48. in pr. ibi, ſed omnes, ff. de adq. rer. dom. quod bonæfidei poſſeſſor percipiendo ſuos interim faciat etiam naturales fructus, qui diligentia & opera hominis naſcuntur. Pomponius verò in d. l. fructus, 45. ibi, ſicuti nec cuiuſlibet bonæfidei poſſeſſoris, ff. de vſur. apurtè negat, quod naturales fructus percipiendo fiant bonæfidei poſſeſſoris.

Et verum eſſe non puto, quod Ang. & poſt 61 eum Cuiacius (cuius opinioni tamen aliquando fidem adhibui) tradunt, quod etiam conſumti naturales fructus à bonæfidei poſſeſſore reſtituantur. Autores enim juris generaliter omnes fructus conſumptos bonæfidei poſſeſſori tribuunt. Juſtinianus Imp. §. Et ſi in rem actum, verſ. ſi verò bonæ, Inſtit. de offic. judic. Si, ait, bonæfidei poſſeſſor fuerit, non habetur ratio, neque conſumptorum, neque non perceptorum fructuum. Paulus Juriſconſultus in l. 4. §. poſt litem ff. finium regundor. ſcribit, quod eum, qui bona fide percepit fructus, oporteat lucrari conſumptos fructus. Africanus in d. l. quæſitum 40. in fin. ff. de adquir. rerum dom. docet, bonæfidei poſſeſſorem, fructus prædiorum

rum consumptos facere suos, Diocletian. & Maximianus Impp. in d. l. certum, 22. C. de rei vindicat. rescribunt, bonæfidei possessorem extantes tantum fructus cum re ipsa eius Domino præstare.

62 Tot ergò jura de fructibus à bonæfidei possessore perceptis & consumptis, indistinctè loquentia, etiam indistinctè & generaliter accipere debemus etiam de fructibus naturalibus. Oratio enim generaliter, & sine distinctione concepta, generaliter intelligi debet, l. metum 9. §. animadvertendum, ff. quod metus causa, & l. item veniunt, 20. §. petitam, vers. à quo denuntiatum. ff. de heredit. petit. Usus quoque gravissimus omnium legum censor & explorator, l. si de interpretatione 37. ff. de legibus, hanc de fructibus naturalib. consumptis sententiam comprobat Ar. Pinel. in d. l. 2. C. de rescind. vendit. part. 2. cap. 4. num. 6.

63 Sunt tamen nonnulli, qui æstimationem fructuum naturalium consumptorum, si ex illis bonæfidei possessor locupletior factus sit, in restitutionem venire tradunt; quorum meminit, & sequitur Hartman. Hartmanni ab Eppingen lib. practicar. forens. Tit. 31. observat. 3. Verùm in errore versantur. Generaliter enim dicitur, quod bonæfidei possessor fructus lucretur, d. l. 4. §. post litem, ff. finium regund. Qui autem lucratur fructus, is

patri-

patrimonium suum locupletat. Et in d.l. certum 22. C. de rei vindic. Impp. rescribunt, bonæfidei possessorem solummodo extantes fructus præstare. Ergo de consumptis non tenetur, sive inde locupletior factus sit, sive non sit factus locupletior. Idq; tradit etiam Arius Pinelus dict. cap. 4. num. 60. & Wesenbec. in §.si quis à non domino,nu.11.& nu. 14. h. t. n. Et addit dicto loco Pinelus, quod ita praxis observet, idque verum esse egomet etiam animadverti.

Bonæfidei tamen possessor hereditatis fru- 64
ctus etiam naturales consumptos, ex quibus factus est locupletior restituere tenetur, l. 1. C.de petit. hered. l. Illud quoque 40. in pr. vers. Nec enim debet, & §. 1. vers. in bonæfidei, ff. d. t. Ratio diversitatis est, quod fru-
ctus † hereditatem augent, & eiusdem cor- 65
pus censentur, l. 2. C. de petit. hered. & d. l. Illud. §. 1. & l. Item veniunt. 20. §. item non solum, vers. fructus autem, ff. dict. tit. Pinel. dict. cap. 4. num. 61. & Wesenbec. in d. §. si quis à non Domino.nu.14. h. t. n.

Videamus aliorum etiam conciliandi ra- 66
tionem. Goveanus lib. 2. variar. lection. cap. 15. & eum secutus Dionys. Gothofredus in notis ad d. l. certum 22. in verb. extantes, C. de rei vindicat. intelligunt Pomponium Jurisconsultum in d. l. fructus 45. ff. de usur. de perceptis tantum naturalibus fructibus: Pau-

lum verò conditorem juris in d. l. bonæfidei 48. in pr. ff. de adquir. rer. dom. de naturalibus etiam fructibus non modò perceptis, sed & post perceptionem consumptis. Illos scribunt in restitutionem venire; hos non item. Atqui Jctus vterq; de fructuum perceptione expressè loquitur, vt in vtraq; lege verbum *percipiendo* abundè arguit. Quocirca neque hęc conciliandi ratio nobis satisfacere potest. Id quod sentit etiam Anton. Faber. lib. 4. coniecturar. cap. 17.

67 Cæterùm Arius Pinel. dict. cap. 4. n. 59. scribit, Paulum Jctum in d. l. Bonęfidei, ff. de adq. rer. dom. loqui de bonæfidei possessore, qui possidet titulo valido, vel etiam irrito, in quo tamē possessor justum facti errorem habuit: Pomponium verò in d. l. fructus, ibi, nec cuiuslibet bonæfidei possessoris, ff. de vsur. agere de bonæfidei possessore, qui ex titulo reprobato rem possidet: quo titulo possidet

68 coniunx rem sibi à coniuge donatā. At † neq; hoc modo nodus ille dissolvi rectè potest. Licet enim eò loci Pomponius disserat de reprobato donationis inter virum & vxorem titulo, atq; ita de possessione malę fidei, vt supra ostendi, tamen eiusmodi possessori opponit bonæfidei possessorem, & docet, quod sicut nec cuiuslibet bonæfidei possessoris fiunt merè naturales fructus, vt pomum, & lignum; ita nec malæ fidei possessoris (qualis est

est coniunx in re sibi à coniuge donata) eiusmodi fieri fructus. Propter eam igitur oppositionem, non possunt hæc verba, *nec cujuslibet bonæfidei possessoris*, intelligi de possessore tituli reprobati; maximè cum is, qui reprobato possidet titulo, non bonæfidei, sed malæfidei possessor sit, vt est coniunx rei à coniuge sibi donatæ, quemadmodum supra ex juris textibus probavi.

Antonius Faber dict. lib. 4. conjectural. emendandum putat textum d.l. fructus, ff. de vsur. & ex ea relegandam arbitratur particulam. Nec, atq; ita legendum: *Sicuti cujuslibet bonæfidei possessoris*. Sed cum mutatio textus præsertim Florentinarum Pandectarũ odiosa sit, proindeq; omninò vitanda, modò vlla ratione salvari textus ipse possit, hanc concordandi viam minimè sequor, sed ab ea cum Hermanno Vulteio planè recedo. 69

Ipse autem Vulteius vir scientissimus, & præclarè de juris studio meritus, in dicto eleganti, & erudito suo libro disceptationum Scholasticarum, cap. vltim. ita conciliandum cum Paulo putat Pomponium, vt dicamus, Pomponium in dict. leg. fructus, 45. ibi, *sicuti nec cujuslibet bonæfidei possessoris*, ff. de vsur. non de omni bonæfidei possessore negare, quod naturales fructus suos faciat; sed tantum de eo bonæfidei possessore, qui quidem ab initio bonæfidei possessor fuit, sed postea 70

per litis conteſtationem fit malæ fidei, poſſeſſor: Paulum verò JC. in d. l. bonæfidei ff. de adquir. rerum domin. loqui tantum de eo bonæfidei poſſeſſore, qui abinitio fuit, & adhuc eſt bonæfidei poſſeſſor.

At neque hanc d. l. fructus, ff. de vſur. interpretationem admittendam puto. Loquitur enim Pomponius expreſsè de ipſa perceptione fructuum, quæ fit ab ipſo poſſeſſore bonæfidei. At licet bonæfidei poſſeſſor, etiam poſt litis conteſtationem, reſpectu fructuum ante litis conteſtationem perceptorum, bonæfidei poſſeſſor vocari poſſit, vt quodammodò arguit d. l. certum 22. C. de rei vindic. tamen dici quis non poteſt bonæfidei poſſeſſor, quo ad ipſam fructuum perceptionem, quæ fit poſt litis conteſtationem: quippe cum ſtatim poſt litis conteſtationem quis malæfidei ſit poſſeſſor, l. 2. C. de fructibus & lit. expenſ. l. 4. §. poſt litem. ff. finium regundor. Et quia idem Juriſcõſultus Pomponius, vt Paulus ſignificat in d. l. bona 48. §. 1. ff. de adquir. rer. domin. negat, bonæfidei poſſeſſorem eſſe eum, qui quidem bona fide ab initio rem poſſedit, ſed poſtea etiam ante litis conteſtationem cognovit, rem alienam eſſe, exiſtimandum non eſt, quod contrarium reſpondere voluerit in d. l. fructus 45. ff. de vſur.

71 Non deſunt quoque qui arbitrantur, Juriſconſultos Paulum & Pomponium, de hac

hac juris quæstione, contraria scripsisse, & alterum ab altero dissensisse; quod tamen vt credam adduci non possum; præsertim cum Paulus Jurisconsultus. in d. l. bonæfidei 48. in princ. ibi, non dubiè, ff. de adquir. rer. domin. apertè significet, sine vlla dubitatione, bonæfidei possessorem percipiendo suos facere fructus, non solum industriales, sed & naturales. Et sanè haud facilè dicendum, leges esse inter se revera contrarias; quippe cum Iustinianus Imperator nullas esse in libris nostri juris antinomias scribat in orat. de confirmat. Digest. §. contrarium autem, & l. 1. §. nulla itaque in omnibus C. de veter. jur. enucleando.

Ego verò de hac quid sentiam difficultate, & quomodo diversorum illorum Jurisconsultorum diversa responsa invicem concilianda putem, nunc paucis subijciam. 72
Arbitror autem bonæfidei possessorem suos facere percipiendo fructus non solum eos industriales qui serendo proveniunt, sed & cæteros naturales; idque sentire Paulum in d. l. bonæfidei 48. in princ. ff. de adquir. rer. dom. & in l. 4. §. lana ovium. ff. de vsucap. Cui consentit Gaius in d. l. in pecudum fructu 28. ff. de vsur. Idem quoque rescribendo statuisse autumo Impp. Dioclet. & Maxim. in d. l. certum 22. ibi, bonæfidei verò extantes. C. de rei vindicat. & Justinianum in d. §. si quis à

non domino, h.t.n. Ab hac autem generali regula ex autoritate Pomponii Jurisconsulti in d. l. fructus 45. ff. de vsur. excipio fructus merè naturales, vt qui omninò nullam, aut exiguam possessoris, aut alterius operam ad sui productionem & nativitatem exigunt; quales fructus sunt, qui sponte naturæ proveniunt, vt pomum, lignum, pyrum, fœnum, &c. Atque ita in concordiam reducendam puto Jurisconsultum Pomponium in d. l. fructus, ff. dict. titul. cum Paulo Jurisconsulto in d. l. bonæfidei 48. in princip. ff. de adquir. rerum domin.

Et omninò ita statuo, Paulum Jurisconsultum in d. l. bonæfidei, ff. d. tit. loqui de iis tantum fructibus, qui ad sui productionem necessarios desiderant sumptus, & his verbis: eos, qui diligentiâ & operâ eius perveniunt, significare fructus, qui ex satione proveniunt, vt sata & segetes in agris: verba autem, *sed omnes*, denotare Jurisconsultum, præter sationis fructus, etiam alios fructus, qui curam hominis desiderant; puta fœtus pecudum, veluti agnos, hœdos, vitulos, porellos. Item lac, pilum, lanam, quos fructus naturales etiam bonæfidei possessor suos facit; l. in pecudum 28. in princip. ff. de vsur. l. 4. §. lana ovium. ff. de vsucap. & l. bonæfidei 48. §. Et ovium fœtus, ff. de adquir. rerum domin. Et hanc interpretationem d. l. bonæfidei 48.

in

in princ. ff. d. t. maximè juvat d. §. si quis à non domino. h. t. n. Ubi Justinian. Imp. voce, cultura, significat fructus eos, quos Paulus in dict. l. bonæ fidei, denotat verbis, *eos qui diligentia & opera eius pervenerunt*, quales fructus sunt, qui serendo proveniunt, dict. leg. qui scit, 25. §. in alieno, & §. vltim. & dict. l. fructus 45. ibi, illos tamen, quos suis operis adquisivit, veluti serendo, ff. de vsur. Nominè verò, cura, significat Justinianus, in d. §. si quis à non domino, eos fructus, qui ex animalibus percipiuntur; vt sunt fœtus, veluti agni, hædi, vituli, surculi, item lac, pylus, lana, sicuti abundè arguit l. fructus, 7. §. non solum, ibi, quo curantur, ff. soluto matrimon. Et hos pecudum fructus, qui mediante curâ percipiuntur, haud dubiè Paulus Jurisconsultus insuper denotare voluit verbo, sed omnes. Quod generale verbum restringi debet ad eos tantum fructus, qui propius accedunt ad eos fructus, quorum priùs specialiter facta fuit mentio.

Quoties enim prius ponitur species, & 73
deinde subiicitur genus, tunc genus illud restringi debet ad aliam etiam speciem, quæ prius positæ speciei instar obtinet, & ad eam propius accedit, textus est expressus in leg. vltim. §. vltim. ff. de tritic. vino, vel oleo legat. & leg. pediculis 32. §. item cum quæreretur, ff. de auro & argent.

legat. Wesenbec. quoque consil. 27. Genus, ait, sequens est restringendum ad species expressis pares. Sed prius meminit Paulus Jurisconsultus, vt antea ostendi, fructuum eorum, qui ex facto & operis bonæfidei possessoris nascuntur: vt qui serendo adquiruntur; quorum fructuum instar obtinet, & ad eos propius accedit fructus pecudum; siquidem vt illi operam, & factum possessoris, ita & hi curam possessoris desiderent, d. l. fructus 7. §. non solum, ibi, quo curantur, ff. solut. matrimon. Quocirca generale illud, SED OMNES, restringi debet ad eos duntaxat fructus, qui curam possessoris exigunt, veluti ad fructus pecudum, non etiam extendi ad fructus eos, qui sponte naturæ proveniunt, vt pomum, lignum, fœnum, &c.

Et quia nusquam in libris nostri juris expressè scriptum legimus, quod bonæfidei possessor percipiendo suos quoque faciat fructus, qui sponte naturæ proveniunt; Expressè autem Pomponius scribat in d. l. fructus, 45. ff. de vsur. quod huiusmodi merè naturales fructus non fiant percipiendo bonæfidei possessoris, dicendum planè est, quod hoc Pomponianum responsum vt speciale, deroget generali responso Paulino, quod est in d. l. bonæfidei, in princ. ff. de adquir. rerum domin. Per hanc scilicet regulam. In toto jure generi per speciem derogatur, l. in toto

jure

jure, 80. ff. de regul. jur. & c. generi per speciem, eod. tit. in 6.

Non obstat huic conciliandi rationi l. de fructibus 17. ff. de donat. inter vir. & vxor. Nam, vt ibi glossa rectè sentit, intelligenda est ea lex, de fructibus non merè naturalibus, sed qui ex operis coniugis provenerunt. 74

Neque facit negocium quod fructus, de quibus ibi agitur, comparantur vsuris: Nam & vsuræ ex operis creditoris debentur ex conventione scilicet, l. vsura, ff. de verbor. signific.

Non refragatur etiam textus in l. qui scit, 25. §. 1. vers. Porrò bonæfidei, ff. de vsur. Ea enim lex tota est de industrialibus fructibus vt evincitur ex his verbis, *severit, seminis, severim, sati, &c.*

Cæterùm licet bonæfidei possessor percipiendo suos faciat fructus, eosqúe consumptos lucretur, sive serendo provenerint, sive pecudum fructus sint: quamprimum tamen malæ fidei incipit esse possessor, hoc jus adquirendorum fructuum cessat.

Sed quando bonæfidei possessor malafide possidere incipiat, non est omninò juris certi. Julianus in dict. leg. qui scit, 25. §. fin. ff. de vsur. respondit, quod bonæfidei possessor, quò ad percipiēdos fructus, intelligi debeat, quamdiu evictus fundus non fuerit; atque ita bonæfidei possessionem extendere vide- 75

tur vsque ad finem, & exitum litis, etiamsi ante acceptum judicium scientiam rei alienę supervenia. Est enim evictio rei comparatæ, veluti emptæ, per judicis sententiam efficax & plena amissio l. habere 57. ff. de evict. & ibi Cuiac. in paratit. & paratit. Cod. eod. tit. de evict.

Sed Impp. Valens & Valentin. in l. 2. C. de fructibus & litium expensis, rescribunt, quod mala fide quis possidere incipiat ex eo tempore, ex quo res in judicium deducta fuit, hoc est, ex tempore litis contestatæ. Idem quoque rescripserunt Dioclet. & Maximian. in d. l. certum 22. C. de rei vindicat. & sensit idem Julianus in l. quæsitum 91. §. fin. ff. de legat. 1.

Ulpianus verò post Jurisconsultum Pomponium in l. Qui bonafide 23. §. tamdiu, & Africanus in l. quæsitum 40. Item Paulus Jurisconsultus in d. l. bonæfidei 48. §. in contrarium, ff. de adquir. rerum dom. responderunt, malam fidem incipere etiam ante litem contestatã, protinus atq; possessor rem alienam esse resciverit. Hæc loca Eguinario Bar. in d. §. si quis à non domino, h. t. n. adeò contraria esse videntur, vt ea sine manifestâ calumniâ conciliari non posse arbitretur.

Alii tamen de conciliandis hisce locis minimè desperarunt. Cuiac. in notis prioribus ad d. §. si quis à non domino, h. t. n. & in tract. ad Afri-

ad Africanum 7. in explicatione d. l. quæsitum 40. ff. de adquir. rer. dom. tradit, quod bonæfidei possessor etiam ex eo tempore, quo cognovit rem alienam esse, perceptos fructus suos interim faciat: idqúe sentire Julianum in d. l. qui scit, 25. §. vlt. ff. de vsur. Sed si exitum, finemqúe judicii spectes, eius non fieri eiusmodi fructus: & hanc esse mentem Pomponii Jurisconsulti, cuius responsi meminit Paulus in d. l. bonæfidei, 48. §. in contrarium quæritur, ff. de adquir. rer. dom. Sed quia neque Julianus scribit in d. l. qui scit. §. vltim. ff. de vsuris, quod suos faciat bonæfidei possessor fructus perceptos ex eo tempore, quo cognovit rem esse alienam: neque Pomponius, aut post eum Paulus in d. l. bonæfidei, §. in contrarium, ff. de adquir. rer. dom. vllo verbo significat, quod exitum saltem, finemq; judicii spectet, non etiam tempus perceptionis, idcircò hanc vt divinatoriam explicationē prorsus reijciendam puto.

Hermannus Vulteius in erudito suo disceptationum Scholasticarum libro, cap. vltim. pag. 236. & seqq. in conciliandis hisce locis studiosè laboravit. Sanè, inquit, si possessor certò rescivit rem, quam possidet, alienam, eandemqúe nondum vsuceperit; non video quid obstet, vt in mala fide illū, *quò ad omnia*, cōstitui dicamus. Illud *quò ad omnia*, nō probo, reliquum non improbo, sed verum dico.

Deinde

Deinde ſcribit, quod is, qui malæ fidei poſſeſſor poſtea factus eſt, ex eo ſcilicet tempore, quo reſcivit rem eſſe alienam, lucretur fructus ante litis conteſtationem conſumptos. Et paulò poſt, quod eiuſmodi poſſeſſor, non obſtante ſcientia rei alienæ, quod ad jus percipiendi fructus attinet, & conſumendi eos, non intelligatur malæ fidei poſſeſſor eſſe, quo vſque lis conteſtata fuerit.

Atqui de lucrandis fructibus, & jure conſumendi illos quod tradit, amplecti non poſſum, per ea, quæ poſt ſubijciam.

Ne autem cuiquam contrariæ videantur ſupra adductæ leges, ad eas concordandas hæc profert. Quod ſi, ait, ante, multò igitur magis poſt litem conteſtatam, & multò magis poſt evictionem (ſcilicet malafide poſſidere incipit.) Atque id Ulpianus, Paulus, Africanus, & Martianus, (fortè dicere voluit Julianus) non negarunt: non etiam qui affirmant, poſt litem conteſtatam illud fieri, protinus affirmabunt, fieri ante illam; tametſi non videam, hoc ab illis negari. Nec ſi verùm eſt, poſt litem conteſtatam quem fieri malæ fidei poſſeſſorem, conſequens illi eſt, non etiam fieri ante. Eſt enim hoc argumentum à contrario ſenſu, quod non procedit, ſi leges ſint in contrarium, vt hoc loco. Hæc Vulteius.

Verumenimverò nuſquam à conditoribus juris

juris traditum est, quod primum post evictionem quis incipiat malæ fidei esse possessor: vt neq; vnquã vllo loco vel rescriptum, vel responsum ab illis puto, quod demum post litem contestatam, quò ad jus adquirendi dominium perceptorum fructuum, mala fides incipiat. Consentire tamen Domino Vulteio non dubito in eo, quod scribit, eos juris conditores, qui affirmant, post litem contestatam incipere malam fidem, non protinus negare, ante litem contestatam non incipere malam fidem.

Qui juris autores tradunt, post litis contestationem quem fieri malæ fidei possessorem, loquuntur de eò, qui ante litem contestatam non rescivit, rem esse alienam, vti etiam arguit d. l. 2. ibi, ex quo, re in judicium deducta, scientiam malæ fidei possessionis accepit, C. de fructib. & litium expens.

Sed quod quis suos faciat fructus, & eos consumptos lucretur, etiam ante litis contestationem perceptos ex eo tempore, quo rescivit rem esse alienam, id juris autoritas affirmare me vetat.

Ulpianus enim, & post Pomponium Paulus Jurisconsultus, in l. qui bona fide 23. §. tamdiu, & dict. l. Bonæ fidei 48. §. in contrarium, ff. de adquir. rer. dom. apertè scribunt, quod ex eo tempore, propter malam fidem, suos quis non faciat perceptos fructus.

Neque

Neq; obstat Iuliani respõsum in d.l. qui scit 25. §. fin. ff. de vsur. Non enim affirmat Julian. quod ex tempore scientiæ rei alienæ, qui ab initio bonafide possedit, fructus perceptos suos faciat: sed quod exinde etiam percipiat fructus; Bonæfidei, inquit, emptor, quod *ad percipiendos* fructus, intelligi debet, quandiu evictus fundus non fuerit.

76 Sed aliud est pcipere fructus, & longè aliud, suos facere fructus percipiẽdo, uti haud obscurè indicat d.l. qui scit. 25. §. fin. ibi, an perceptione fructus suos faciat, & d.l. 45. ff. de usur. & d.l. bonæfidei. 48. in pr. ff. de adq. rer. dom.

77 Percipit fructus, qui fructuum possessionem adquirit: at suos percipiendo facit fructus, qui fructuum dominium, h. e. proprietatem adquirit. Et justè quidem, hoc est, bonafide percepit fructus, qui ex tempore sciẽtiæ rei alienę fructus percipit, modò ab initio bona fide rem principalẽ acceperit. Etsi enim ad justam & bonæfidei possessionem bona fide ab initio, h. est. tempore adquisitionis, in re principali requiratur, tamen secus est in rei principalis accessionib. quales sunt fructus & partus ancillæ: Re principali semel bona fide rectè quęsita, prodest hoc ipsum initiũ ad justam possessionẽ accessionum, quæ inde natæ fuerint, ita vt jure vsucapi possint, l. justò 44. §. etsi possess. ff. de vsuc. Ex quo loco interpretari debemus d.l. qui scit, 25. §. vlt. ff. de vsuris.

Disqui-

Disquisitio

RATIONIS COMPONENDI DISSIDII, quod est inter l. 2. ff. Stellionatus & l. Quid ergo 13. §. vlt. ff. de his, qui notantur infam.

DISSIDIUM VIDETUR ESSE magnum inter l. 2. ff. stellionat. & l. Quid ergo 13. §. vltim. ff. de his, qui notantur infam. Priori etenim loco Ulpian. Iurisconsultus, Stellionatus, inquit, judicium, *famosum quidem non est*; Sed coërcitionem extraordinariam habet. Loco posteriori, idem Jurisconsultus, Crimen, ait, stellionatus *infamiâ irrogat damnato*, quamvis publicum non est judicium.

Hæc duo eiusdem Jurisconsulti responsa, in speciem contraria, plerisque Interpretibus concilianda videntur ex Macri Jurisconsulti sententia in l. Infamem 7. ff. de publicis judic. cuius verba hæc sunt: Infamem non ex omni crimine sententia facit: Sed ex eo, quod judicii publici causam habuit. Itaque ex eo crimine, quod judicii publici non fuit, damnatum infamia non sequetur: Nisi id crimen ex ea actione fuit, quæ etiam ex privato judicio infamiam condemnato importat: ve-

tat: veluti furti, vi bonorum raptorum, injuriarum.

Ex hac lege Antiquus glossator Johannes, & eum sequutus Accursius, Item Bart. Ang. & alii plerique in d. l. Quid ergo 13. §. vltim. ff. de his, qui notantur infam. & Johan. Robert. Aurel. lib. 4. sentent. jur. cap. 17. distinguunt hunc in modum: Crimen stellionatus descendit vel ex causa, ex qua quis civiliter damnatus infamatur, vel ex ea causa, ex qua non infamatur civiliter condemnatus. Priori casu infamat judicium stellionatus; posteriori casu non infamat.

Hanc distinctionem probat quoque Duaren. lib. 1. disputat. anniversar. cap. 42. Damnatus, ait, ex crimine, quod publici judicii non est, ita demum notatur, si ex eodem maleficio civiliter & privato judicio damnatus infamis esset, d. l. Infamem. Itaque stellionatus crimen regulariter dicitur famosum non esse, quia publicis judiciis non annumeratur. l. 2. ff. de crimine stellionat. vt si emptor (exempli gratia) venditorem accuset, quod sciens prudensque rem alii obligatam vendiderit, l. 3. ff. dict. tit. Aut creditor debitorem, quod rem alii obligatam pignori dederit, l. Tutor. §. contrarium. ff. de pignoratit. act. Sed cum stellionatus crimen obiicitur ex ea causa, ex qua competeret actio famosa, puta de dolo, l. 1. ff. de his, qui not. infam.

infam. §. vlt. Instit. de perpet. & tempor.act. meritò damnatus eo crimine (stellionatus) infamia notabitur, d. l. Infamem.

Et ne videatur primo distinctionis membro obstare textus in d.l. Quid ergo 31. §. vlt. ff. de his, qui notantur infam. existimat Duarenus, Ulpianum ibi occurre quibusdam, qui existimare possent, quia judicium stellionatus publicum non sit, iccircò nec vllo casu crimen stellionatus infamiam damnato irrogare. At non rectè ex eo id colligi sentire Ulpianum. Interim tamen ipsum haud significare, quod vbique sit famosum stellionatus crimen; quippe cum in d.l. 2. ff. Stellionatus, neget stellionatus crimen esse famosum.

Amplectitur eandem distinctionem Cuiac. lib. 10. observat. cap. 26. Porrò, ait, non concurrit semper stellionatus crimẽ cum actione de dolo; sed cum alia civili actione. Et si quæratur, an famosum sit crimen stellionatus, & quid sit, quod famosum non esse ait l. 2. ff. eod. contrà famosum esse l. quid ergo, §. vltim. ff. de his, qui notant. infam. dicam rem omnem dirimi, concursus differentia. Si concurrat cum hoc crimine civilis actio famosa, erit etiam crimen famosum; Si concurrat non famosa, non erit crimen stellionatus famosum: & ita Ioannes rectè, argum. l. Infamem. ff. de public. judic. Demus exemplum. Si quis rem vni obligatam, alii sciens dolo

malo pignori obligaverit, tenetur contraria actione pignoratitia, quæ non est famosa. Ergo non erit etiam ex ea causa criminalis stellionatus actio famosa. Contra si quis merces, quas mihi debebat ex stipulatu, dolo malo corruperit, & sic tradiderit, tenetur civili actione de dolo, quæ est famosa. Erit igitur etiam hoc casu stellionatus judicium famosum.

Hæc conciliandi ratio probatur eidem Cuiacio in Commentariis in lib. 1. Respons. Papiniani, pág. 15. & in paratit. C. de crimine stellionatus. Ubi siquidem, ait, famosa sit actio, quæ cum stellionatus judicio cõcurrit, veluti de dolo, aut depositi, etiam famosum erit crimen stellionatus; quia absurdum est, civilem actionem esse famosam, & criminalem non esse. Finge debitorem in solvendo pro auro debito ex stipulatu, vel ex causa depositi æs subiecisse, vel pro veris gemmis vitreos. Ex hac causa est civilis actio de dolo, vel depositi, quæ famosa est. Erit igitur ex his causis crimen stellionatus famosum. Ad quas tantum dico respexisse l. Quid ergo §. vltim. ff. de his, qui not. infam. Cæterum si in pignore dando, aut in vendendo subiecerit quis æs pro auro, vel statu liberum pro servo, vel vitreum sardium pro vero, dissimulata veritate rei, crimen stellionatus non est famosum, vt ait l. 2. ff. eodem titul.

stellio-

stellionat. quia nec actio pignoratitia contraria, vel ex empto, quæ cum eo concurrit, est famosa. l. si quis in pignore, ff. de pignorat. act. l. statuliberum, §. 1. ff. de statulibet.

Non displicet etiam Wesenbecio eadem distinctio in Paratit. ff. titul. Stellionat. nu. 3. Stellionatus, inquit, judicium famosum non est, nisi ex eo crimine descendat, quod etiam in privato judicio infamiam condemnato importet. Verbi gratia, si quis ex aperto dolo condemnetur. Tunc enim, quia & privatum doli judicium existimationem notat, dicendum est, & crimen stellionatus damnato labem aspergere. Secus si dolus in contractu sit, de quo jure civili non actione doli, sed ea, quæ ex contractu descendit, quæreretur. Quæ cum existimationem non lædat, consentaneum est, nec stellionatus judicium hoc casu opprobrio esse.

Nihil quoque dubitat communi huic distinctioni subscribere Donellus libro 18. Commentar. cap. 8. pagin. 165. & sequent. De crimine, ait, stellionatus plusculum difficultatis est, cum quæritur, sitne famosum, an non sit. Nam de eo extant duæ Ulpiani definitiones diversis locis traditæ, dissentientes inter se, vt videntur, atque adeo contrariæ. In vna scribit, stellionatus crimen infamiam irrogare damnato:

Hæc extat in l. quid ergo, §. vlt. ff. de his, qui not. infam. In altera negat, stellionatus crimen esse famosum; Hæc in l. 2. ff. Stellionat. Regula Macri nos admonet, dici debere, crimen stellionatus interdum famosum non esse, interdum esse. Famosum non est, si stellionatus nomine agitur ex ea causa, quæ in judicio privato de eadem re infamiam non irrogat damnato. Id autem accidit, si proponas stellionatum admissum esse in iis contractibus, quorum actiones privatæ non sunt famosæ: puta in pignore dando, aut in venditione. Finge aut debitorem rem alienam, vel alii obligatam scientem prudentem creditori suo pignori dedisse, aut venditorem ignorāti emptori vendidisse, Uterque eodem facto incidit in stellionatum l. 1. in fin. ff. de pignor. act. l. 3. ff. Stellionat. Sed si ex eo crimine conventus condemnatus erit, neuter erit infamis dictante Macri regula: quia ex eodem facto privatæ sunt actiones, quibus isti tenentur eodem nomine: adversus debitorem quidem pignoratitia contraria, adversus venditorem autem ex empto d. l. 1. in fin. junct. l. Tutor 16. §. 1. ff. de pign. act. l. tenetur, §. vltim. ff. de act. empt. l. Ea quæ, ff. de contrah. empt. ac neutra earum famosa. Contra crimen stellionatus ex eadem regula famosum erit, si quando ob id factum etiam erit privata actio, quæ damnato in-

to infamiam importet: quod idipsum rursum interdum accidit. Atque id tum futurum est, cum privata actio, quæ eo nomine competitura est, solum erit actio de dolo; quam edicto notari constat. Id quod sic eveniet retentis iisdem exemplis superioribus, si proponas, debitorem istum, quem dixi, aut venditorem, adhibuisse impostorem aliquem tertium, qui fraudem dissimulãs, quasi qui de improviso interveniret, mentiendo affirmaret, persuaderetque creditori debitorem istum esse hominem idoneum facultatibus; rem, quam pignori dabat, scire se, esse eius, vt & alias possideret innumeras: aut eadem affirmaret venditori in causa emptionis. Inest in hoc quoque facto impostoris stellionatus: Estque is impostor ex genere eorum, quos dicit Ulpianus imposturam fecisse, vel collusionem in necem alterius, d. l. 3. vers. Item si quis. ff. Stellionat. Quid ergo si eo nomine accusatus condemnatus erit? Dicemus præter pœnam, qua extra ordinem plectitur, etiam famosum esse; quia eodem nomine tenetur privata actione de dolo, vt est in l. Quod si cum 8. ff. de dolo. Hæc autem sine dubio etiam in judicio privato infamiam irrogat. Cur autem hic actio de dolo adversus impostorem potius, quam adversus superiores? Quia adversus eum nulla est actio. Non enim tenetur pignoratitia

actio-

actione, qui pignus non dedit: non ex empto, qui non vendidit. Et hæc quidem definitioni Macri convenientia sunt, & si illam recipimus, vera. Jam qui conveniant superiores definitiones Ulpiani, ac potius qui consentiant ipsæ inter se, consideremus. Et ambas superiori distinctioni adversari, atque adeo se ipsas mutuo oppugnare putaremus, si essent ambæ scriptæ generaliter. Quod si ita accipi possunt, vt non negent, *quin stellionatus crimen aliquando famosum sit, aliquando non sit*, veræ sunt ipsæ per se definitiones, & in his cum regula Macri, & superiori distinctione omnia congruunt. At tales sunt superiores definitiones Ulpiani. Ille in l. 2. ff. Stellionat. ita definit: Stellionatus judicium famosum quidem non esse; sed coërcitionem extraordinariam habere. Et hoc verum est, neque ideo generaliter de omni stellionatus judicio definitum. Sic enim accipiendum, vt stellionatus judicium ipsum per se, & sua natura non sit famosum. Idque ita se habet. Nam si sua natura esset famosum, tale esset per omnia; quod non ita est. Sed accidentibus illis circumstantiis facti, quæ efficiant, eodem nomine privatam actionem famosam, tunc & ipsum famosum esse incipit: non propter se, sed propter causam; quæ si in privato judicio infamiam irrogat damnato, plusquam absurdum est, vt ante dixi,

non idem efficere eam in judicio ſtellionatus criminali. Ita jam non impedit ſuperior definitio, quo minus dicamus, ſtellionatus judicium aliquando eſſe famoſum, etſi ex ea fatendum eſt, non ſemper id tale eſſe,&c.

Adſtipulatur denique cæteris juris Interpretibus hac in re etiam Arnoldus ab Haerſolte in adverſariis de actionibus ad 7. partem Pandect. act. 26. num. 5. cuius verba hæc ſunt: Stellionatus judicium non eſt famoſum, niſi ex eo crimine deſcendat, quod etiam in privato iudicio infamiam condemnato importat.

QUAMVIS autem iſthæc diſtinctio, & ſententia à pleriſque ſit recepta; ac odioſum videatur, contradicere multis, maximè illis, qui autoritate excellent, quales ſunt, quorum hactenus memini: Attamen quia nullus textus, nulla ratio juris poſtulat, vt ſtellionatus crimine damnatus yllo caſu liber ſit ab infamiæ macula, religio mihi eſſet, communi illi adhærere dogmati. Quinetiam juris noſtri autoritas abundè arguit, quod omnis ex ſtellionatu condemnatus infamia aſpergatur. Hoc prius; illud poſtea apertè oſtendam.

Ulpianus Juriſconſultus in d. l. Quid ergo 13. §. vltim. ff. de his, qui infamia notantur, diſertè ſcribit; *quod crimē ſtellionatus infamiam*

irrogat damnato. Hoc Juriſconſulti enunciatum eſt quidem indefinitum, ſine vniverſali ſigno poſitum: at quia nullibi in toto jure noſtro vllus extat textus, qui arguat, quod interdum etiam caſibus quibuſdam ſtellionatus crimine damnatus non efficiatur infamis, indefinita illa propoſitio non ſignificat particulariter, ſed æquipollet vniverſali, ac pro vniverſali haberi debet, quaſi dixiſſet Juriſconſultus, *Omne crimen ſtellionatus, infamiam irrogat damnato.*

Deinde eadem eſt natura & conditio judicii ſtellionatus, quæ actionis de dolo l. 3. §. 1. ff. Stellionat. Sed omnis actione doli condemnatus infamia notatur, §. ex quibuſdam, Inſtit. de pœna temerè litigant. & l. 1. ff. de his, qui notantur infam. Ergò & omnis damnatus judicio ſtellionatus efficitur infamis.

Adhæc quicunque ex ſuo proprio damnatur crimine, infamiam ſubit, licet crimen ſit extraordinarium, non publicum, l. 1. ibi, prævaricationiſvé judicatus erit, l. 4. §. calumniator 4. ff. de his, qui not. infam. vbi agitur de crimine prævaricationis, quod extraordinarium eſt crimen, l. 2. l. 3. in princ. ibi, aliud moribus inductum eſt, ff. de prævaricatione. Crimen quoq; ſepulchri violati, quod eſt extraordinarium, damnato infamiā irrogat, l. 1. ff. de ſepulcro violat. Afficitur quoque

que infamia, qui ob crimen expilatæ hæreditatis damnatur, l. si te. C. ex quibus causis infamia irrog. Et quia omne etiam aliud crimen extraordinarium dolo committitur, & gravem extraordinariam continet pœnam, vti arguit tot. tit. ff. de extraord. criminib. & 10. §seqq. titt. icciircò dubium est nullum, quin & quovis alio extraordinario damnatus crimine, infamiam sustineat. Id quod nominatim de stellionatus crimine damnato Reo tradit Ulpian. in d. l. Quid ergo. 13. §. vltim. ff. de his qui notantur infam.

Denique corporalis pœna stellionatus vel est opus metalli, vel relegatio, vel ab ordine motio. l. 3. §. penult. & l. vltim. ff. Stellionat. cur ergò non etiam infamiam incurreret, qui hoc crimine damnatur? Opus metalli infamiæ damnum adfert damnato. l. Ad tempus, 6. C. ex quib. caus. infam. irrog. Relegatio similiter, l. capitalium 28. §. cæteræ pœnæ, ff. de pœnis l. 4. C. ex quibus causis infam. irrog. vbi pro *relegatum* legi debet *relegandum*, & *pro damnandum*, damnatum, Cujac. in Commentar. in lib. 1. Responsor. Papin, pag. 19. & ad l. 1. C. de his, qui in exil. dant. Ab ordine etiam motio lædit existimationem, l. 3. C. ex quib. causis infam. irrog.

Nihil habet adjumenti opinio communis ex d. l. Infamem 7. ff. de public. judic. Verba legis hæc sunt: *Infamem non ex omni crimine*

sententia facit: Sed ex eo, quod judicii publici causam habuit. Itaque ex eo crimine, quod judicii publici non fuit, damnatum infamia non sequetur: nisi id crimen ex ea actione fuit, quæ etiam in privato judicio infamiam condemnato importat: veluti furti, vi bonorum raptorum injuriarum. Notandum est, quod Macer Jurisconsultus loquitur tantum de crimine, non de contractibus: Et quidem de crimine publico, & extraordinario, quod tamen origine est privatum. Ac ostendit, quod sententia infamem faciat reum ex publico crimine damnatum; item damnatum ex crimine extraordinario, si origine sit privatum delictum, ex quo actione privata conventus ac condemnatus reus infamiam subeat; cuiusmodi delictum est furtum, rapina, injuria; quibus annumerari quoq; potest dolus, qui similiter est delictum. l. Item exigit 16. ff. de dolo, & efficitur crimen stellionatus si extra ordinem accusatio illius nomine instituatur, l. 3. §. 1. ff. stellionat.

Ideo autem de crimine solum loquitur Macer Jurisconsultus, quia toto illo libro 2. publicorum judiciorum, vnde lex ea fuit desumpta, egit de criminibus vt arguunt l. 14. ff. de offic. præsid. l. 63. ff. de furtis, l. 40. ff. de injur. l. 9. ff. de sepulchro violat. & l. 4. ff. de prævaricat. quæ leges omnes sunt eiusdem Macri Jcti ex eodem lib. 2. de publicis judic.

Cum

Cum verò non solum publico judicio ob crimen publicum damnatus, aut damnatus ob crimen extraordinarium, quod origine, & suâ naturâ est delictum privatum famosum, infamiam sustineat; sed & damnatus ex quovis alio extraordinario crimine, vt patet ex l. 1. & l. vltim. ff. de sepulchro viol. l. 1. & l. 2. ff. de abigeis. l. 4. ff. de prævaricat. l. 1. ff. de receptatorib. l. 1. & l. vltim. ff. de furib. balneariis, l. 1. & l. 2. ff. de effractor. l. 3. & l. 5. ff. de Expilatæ hered. l. 2. ff. de term. mot. & l. 2. C. de Collegiis. Quinetiam ex quorundam contractuum & quasi contractuum actionibus ob commissum dolum condemnati fiant famosi, l. 1. ibi. Qui pro socio tutelæ, mandati, depositi, & l. furti 6. §. mandati, & §. seq. ff. de his, qui not. infam. & §. Ex quibusdā judiciis, vers. Item tutelæ, mandati, depositi, & vers. seq. Inst. de pœna temer. litig. non potest certum cōmuni opinioni argumentū poni in textu d. l. Infamem 7. ff. de publicis jud. Ex eo. n. ita argumētari haud rectè possumus: Ex eo crimine, q̄ publici judicii causam habet, Reus dānatus, infamia notatur; vt & ille, qui extra ordinē damnatur ex illo crimine, q̄ etiam in privato judicio infamiam condemnato importat, quale crimen est furtum, rapina, injuria, dolus: Ergo ex alio crimine, non publico, non item extraordinario, quod origine privatum sit, damnatus non sustinet igno-

ignominiam: Multò minus ex eo delicto, quod cum aliquo coniunctum est contractu quale delictum est dolus, qui causam dat contractui, aut in ipso incidit contractu, qui dolus etiam delictum dicitur in l. ex contractibus 49. ff. de obligation. & actionib. Est namque vitiosa hæc consequentia: quippe cum & alia extraordinaria crimina, dolus item cum contractu & quasi contractu conjunctus quandoque Reum condemnatum famosum reddant, vti antea ostendi.

Et certè, quod Doctores affirmant, stellionatus crimen haud esse famosum, quando concurrit cum contractu, cuius actio famosa non est, vix admitti potest, eò quod difficulter dari potest contractus, cum quo concurrat stellionatus crimen, & ob dolum, cujus nomine stellionatus judicium competat, ipsius contractus actio famosa non sit. Concurrit judicium stellionatus cum contraria pignoratitia actione, in casu l. 1, §. vlt. l. Tutor. 16. §. 1. l. si quis 36. ff. de pignorat. action. Sed in casu illarum legum cōtrariam pignoratitiam actionem esse famosam arguit textus in l. Furti 6. §. vlt. in fin. ff. de his, qui notantur infam. & sentit Oldendorp. Class. 3. act. 13. cap. singularia huius actionis, pag. 451.

Et licet concedatur, non esse famosam actionem privatam, cum qua concurrit stellionatus judicium, attamen ex eo haud firmiter

miter concludi poteſt, quod nec ſtellionatus judicium, cum privata concurrens actione, ſit famoſum; ſiquidem extraordinaria criminis perſecutio duriorem contineat pœnam, quam perſecutio privata, l. Interdum 56. §. 1. ff. de furtis, l. 1. §. Solent. 7. ff. de offic. Præfecti vrbi. l. vlt. ff. de privat. delict. l. vlt. ff. de furt. & l. vlt. ff. de injur.

Quemadmodum autem non particularis, ſed generalis eſt definitio d. l. Quid ergo 13. §. vlt. ff. de his, qui not. infam. Ita quoque generalis eſt enunciatio, non particularis, in d. l. 2. ff. Stellionat. hæc ſcilicet: Stellionatus judicium famoſum non eſt. Hanc indefinitam propoſitionem prædicti Interpretes omnes explicant particulariter, ac ſi Ulpianus diceret: *Quoddam ſtellionatus judicium non eſt famoſum.* At quia indefinita eſt, pro vniverſali accipi debet, cum nullibi in jure noſtro vllus extet locus, qui oſtendat, quod interdum, non ſemper ſtellionatus judicium ſit famoſum. Quo autem ſenſu Ulpianus Juriſconſultus generaliter dicat, *Stellionatus judicium non eſſe famoſum*, explicabo infra.

Videamus conciliandi rationes ab aliis datas. Jul. Pac. in notis ad d. l. Quid ergo 13. §. vlt. ff. de his, qui notantur infam. & cent. 2. ἐναντιοφανῶν, quæſt. 27. diſtinguit inter infamiam, quæ à lege, & infamiam, quæ à judice nominatim irrogatur. Crimen ſtellionatus, ait,

sit, legis autoritate non infamat condemnatum reum, cum habeat non legitimam; sed extraordinariam pœnam; Sed infamis efficitur huius criminis Reus, si judex nominatim suo arbitrio jusserit eum famosum esse.

Sed neque hæc ferenda est concordandi ratio; tum quia & extraordinarii criminis judicium per se irrogat infamiam condemnato l. 1. ff. de sepulchr. viol. l. 4. ff. de prævaricat. l. vltim. ff. de furib. balnear. l. si te 12. C. Ex quib. caus. infam. irrog. junct. l. vlt. ff. expilatæ heredit. tum etiam, quia infamia arbitrio judicis nulli potest nominatim irrogari; nec juris autoritas arguit, quod etiam solo judicis infamia Reis quibusdam imponatur. Juris infamia notatur quis vel ob solum maleficium suum, vel ob maleficium, & subsecutam condemnationem, etiamsi infamiæ nulla sit mentio facta in sententia, vel ob maleficium & pactum de ipso maleficio infami remittendo, l. 1. & tot. tit. ff. de his, qui not infam. Non obstat l. Improbum 20. ibi, *infamiæ macula irroganda est*, C. ex quibus causis infam. irrog. Hoc enim loco vox *irroganda*, non ad judicis arbitrium referenda est, quo ipse nominatim irrogare debeat infamiam, sed intelligenda de sententia, qua Judex in improbum fœneratorem quandam arbitrariam dat sententiam, quæ tacitè etiam importat infamiam, Improbus fœnerator

tor extra ordinem accusari, & judicis arbitrio puniri potest, Jacob. Butrig. in d. l. Improbum, C. d. t. cuius opinionem consulendo defendit Corn. consil. 19. lib. 3. Didac. Covarr. lib. 2. variar. resol. cap. 3. nu. 2. Et in Epit. de sponsalib. part. 2. cap. 6. In initio, num. 17. Jul. Clar. lib. 5. sentent. §. vsura, vers. Et ex hoc, Menoch. de arbitr. judic. quæst. libr. 2. cent. 4. casu 398. Molin. de vsur. num. 156. Borcholt. Tractat. de vsuris, cap. 5. num. 9. & seqq. Quando autem judex dat sententiam in fœneratorem improbum, extra ordinem ob crimen, fœnus scilicet accusatum, tunc eadem illa sententia tacitè quoque adfert infamiam condemnato fœneratori. Donellus quidem lib. 18. commentar. cap. 7. pag. 155. existimat, ipso jure fœneratorem improbum effici infamem, absque vlla judicis sententia: At votis crebrioribus probata est opinio contraria, quam confirmat etiam textus in d. l. Improbrum. ibi, *irroganda est.* C. Ex quib. caus. infam. irrog. Ubi dicunt, Impp. quod infamia *irroganda sit improbis fœneratorib.* Si irroganda est, & non irrogatur ab ipsismet Impp. eadem lege, certè ipso jure, absq; condemnatione fœnerator non efficitur infamis. Et quia neq; raptor, neq; fur, ignominiam sustinet ob solum delictum illud, sed vt infamia notati dicantur, necesse sit, eos judicis sententia esse condemnatos, l. 1. l. 4. §. vlt.
ff. de

ff. de his, qui notantur infam. verisimile est, condemnationem desiderari etiam in improbo fœneratore, cum hic illis non sit absimilis; atque his consentientibus, illi invitis quid auferant.

Tertia conciliandi ratio est Antonii Fabri lib. 4. coniecturar. cap. 2. vbi autumat, abundare negationem in d. l. 2. ff. Stellionatus, atque ita legendum ibi: *Stellionatus judicium famosum quidem est, sed coërcitionem extraordinariam habet.* At quia legum correctio omnibus modis vitanda est, nihil defero huic componendi rationi: Maximè cum alius cõcordandi has leges haberi modus possit.

Est & alia dissidii illius componendi ratio antiquissima antiquorum Interpretum Martini, & Bulgari, (si rectè ipsorum mentem assequor) indigitante glossa in d. l. Quid ergo 13. §. vlt. ff. de his, qui not. infam. hæc nimirum, quod stellionatus judicium non sit famosum ipso jure, juxta d. l. 2. ff. Stellionat. sed quod infamet per sententiam, qua Reus in pœnam eius criminis damnatur, secundum d. l. Quid ergo 13. §. vltim. ibi, *damnato*, ff. de his, qui not. infam. Atque hæc conciliatrix ratio mihi omnium certissima videtur: cum proximè citato loco non dicatur simpliciter, quod crimen stellionatus infamiam irroget, sed quod *damnato* irroget infamiam. Damnatio fit per sententiam. Non ergo ipso

jure

jure, ſed per ſententiam damnatoriam irrogat infamiam ſtellionatus crimen; vt quando judex damnat Reum huius criminis in pœnam vel operis metallici, vel temporalis relegationis, vel ab ordine motionis, ſecundum l. 3. §. vlt. & l. vlt. ff. Stellionat.

Meminiſſe nos oportet, ſemper in ambigua oratione eam interpretationem capiendam, quæ vitio caret, l. in ambigua 19. ff. de legib. Quapropter cum ambiguus ſit ſermo Juriſconſulti Ulpiani in d. l. 2. ff. Stellionat: Siquidem judicii nomen vel vt actionem in privatis, ſic accuſationem, in criminalibus negociis ſignificet, vel ad ſententiam judicis de eiuſmodi negotiis pertineat: Poſtrema autem hæc interpretatio nominis *judicii* in d. l. 2. ff. Stellionat. & aperto repugnet textui generali in d. l. Quid ergo 13. §. vltim. ff. de his qui notantur infamia, & juris adverſetur rationi, quæ eſt, quod non actio, vel accuſatio criminis per ſe, ſed accedente judicis ſententia infamiam irroget damnato, l. 1. l. 4. §. vltim. ff. dict. titul. l. Nullam 14. C. eodem tit. convenit, vt de priori ſignificatione judicii vocem accipiamus in dict. l. 2. ff. Stellionat. Quod cum ſit, nulla omnino pugna eſt inter eandem leg. & d. l. Quid ergo 13. §. vlt. ff. de his, qui not. infam.

Non quidem ignoro, quod & ipſæ actiones, ex quibus condemnati rei ſunt infames,

etiam famosæ dicuntur in jure nostro, l. Furti 6. §. 1. ff. dict. tit. Verùm id non eo accipiendum est sensu, quasi actiones illæ per se, & ipso jure ante condemnationem ignominia notent eos, qui conveniri possunt actionibus illis; Sed hunc intellectum habent, quod condemnati, condemnati, inquam, ex eiusmodi actionibus ignominiosi fiant, uti arguit non modo textus in l. 1. ff. dict. tit. per sæpius repetitam vocem *damnatus*, sed & l. 4. §. ult. ibi *damnatus*. & d. l. furti 6. §. 1. ibi, *condemnatus*, ff. eod. & §. ex quibusdam, ibi, *Ex quibusdam judiciis damnati*. Item ibi, *eo judicio damnatus*. Instit. de pœna temerè litig. Ex quibus locis omnibus evincitur condemnationem judicialem potissimam esse causam infamiæ juris, qua damnati rei afficiuntur, non solam vel actionem, vel condemnationem. Quod autem eiusmodi aliqua actio famosa dicitur, hoc fit respectu condemnationis, quæ ex tali actione damnatum ignominia notat. Sic crimen, id est accusatio stellionatus, non per se, & ipso jure, infamiam dicitur irrogare absq; damnatione, sed dicitur irrogare infamiam reo per sententiam damnato d. l. Quid ergo 13. §. ult. ff. de his, qui not. infam. Hinc etiam Marcellus JCtus in l. ICtus fustium 22. ff. d. tit. non simpliciter affirmat, quod causa, puta crimen, sive maleficium, infamiam irroget, sed quod infamiam

damna-

damnato irroget. Hinc item Gordianus imp. in l. Nullam 14. ff. eod. tit. Nullam, ait, existimationis infamiam avunculus tuus pertimescat, ictibus fustium subiectus, *si sententia non præcessit ignominiæ maculam irrogans.*

Non absurdum quoq; fuerit, meo animo, si dicamus, *famosum* in dict. l. 2. ff. Stellionat. idem esse quod *publicum*; tum quia idem Jurisconsultus Ulpianus alibi quoque negat stellionatus judicium esse publicum, vt in l. 3. ff. de extraordin. crimin. & d. l. Quid ergo 13. §. vltim. ff. de his, qui not. infam. tum quia in eadem illa l. 2. opponuntur inter se *judicium famosum, & judicium extraordinarium,* tanquam duæ species disparatæ; certum autem est, quod publicum judicium sit species, opposita judicio non solum privato l. 1. ff. Stellionat l. Infamem 7. ff. de public. jud. Sed & extraordinario, d. l. 3. ff. de extraord. criminib. junct. illa Rubr. & Tit. Stellionat. & Tit. expilat. heredit. tum etiam quia *famosum* dicitur quoque illud, quod publicè notum, & clarum est: tum item quia rarum non est, quod ex rei alicuius adjuncta qualitate res ipsa subiecta tropicè significatur: tũ postremò, quia vitiosa & inepta videri posset enunciatio segregativa in d. l. 2. ff. Stellionatus, si per judicium famosum significaretur, ibi, non publicum judicium, sed judicium ignominiosum: quippe cum axioma

hoc; Stellionatus judicium non est ignominiosum, sed est extraordinariæ coërcitionis criminalis; segreget terminos consentaneos: qui sunt, *coërcitio extraordinaria criminalis, & famosum esse judicium*. Omnis enim extraordinaria coërcitio criminalis, vt quæ fit ob crimen aliquod, de quo instituta est accusatio, est ignominiosa damnato, vt supra ostendi; cum tamen propositio segregativa enunciare debeat, & continere dissentaneos terminos, sive argumēta dissentanea. Quemadmodum ergo ineptè dixeris; Ulpianus est quidem Jurisconsultus, sed testamenti ordinationem optimè intelligit. Item, Augustinus est quidem Theologus, sed in quo æterna hominis solus consistat, præclarè docet: Item, Socrates est quidem homo, sed est etiam animal rationale: Item, Turca non est quidem Christianus, sed negat Virginis Mariæ filium, Christum, esse verum Deum, & Salvatorem generis humani: Item, Judæus non est quidem infidelium numerò, sed nescit, mundi Redemptorem Christum esse hominem natum: Ita non nisi ridiculè quisquam dixerit: Stellionatus judicium ignominiosum quidem non est damnato reo, sed ex eo criminaliter reus extra ordinem coërcetur. Quicunque enim extra ordinem criminaliter coërcetur, is etiam ignominiâ notatur; vt proinde isthæc duo simul

stare

ſtare non poſſint, *judicium non eſſe ignominioſum reo, & reum extra ordinem criminaliter damnari*; quippe cum conſentanea iſthęc ſint, & vnum ex alio ſequatur. Quod autem omne extraordinarii criminis iudicium ſit ignominioſum damnato evincitur ex omnibus criminis extraordinarii ſpeciebus, quæ proponuntur ſub titul. ff. de extraordinariis criminib. & vndecim tit. ſeqq. & l. vltim. ff. de privat. delict. l. Interdum 56. §. Qui furem deducit, l. vltim. ff. de furt, l. vltim. ff. de iniur. l. 1. §. ſolent. ff. de officio præfecti vrbi. Et nominatim etiam de iudicio ſtellionatus id docet Ulpianus in d. l. Quid ergo 13. §. vlt. ff. de his, qui notantur infam.

Infami abſtineas à crimine ſtellionatus,
Turpis ſi eſſe nolis labe notatus atra.

INDEX
Alphabeticus
RERUM ET VERBORUM,
maximè notabilium, quæ in hoc Tractatu continentur,

Prior numerus Paginam, Posterior Summarium denotat.

A.

Absens damnari non potest, si pœna relegatione maior sit. 172.10
Accusare quis possit maiestatis Reum. 174.16
Accusator Rei criminis maiestatis interdum torqueri potest, vt & ille, cuius consilio accusationem instituit. 178.26
Ademptio iuris alienandi nō arguit amissionem dominij. 106.31
Adulterans probatam Imperatoris monetam crimen maiestatis contrahit. 67.65
Æs alienum prius est solvendū in confiscatione bonorū. 143.88
Amor descendit, non ascendit. 133.71
An maiestatis crimen cōtrahat, qui patriam suam oppugnat, vel prodit. 86.101
An pœna parentis, liberos afficiens ex perduellionis crimine, sublata sit per l. sancimus, C. de pœnis. 116.52
Appellatione domini in l. 3 vers. Reus etiam, C. de Episcop. audient. significatur non solum Imperator, sed & Princeps alius inferior. 86.101
Appellationes in causis criminalibus an hodiè recipiantur. 181.32
Arbitraria est pœna, non certa, quando lex non definit pœnam delicti. 98.4
Argumentum à contrario sensu non procedit contra legem apertam. 113.43
Argumentum ab vltima voluntate ad delictum non procedit. 145.91
Autor legis Iuliæ quis sit, quo ad maiestatis crimen, in dubium vocatur. 7.10

B.

Bona non publicantur, quæ Reus iure singulare possidet. 113.46

C.

Carolina constitutio probat pœnam dissectionis, & aliam addit, Das schleiffen vnd mit Zangen reissen. 100.14
Citatio in iudicio maiestatis quomodo fiat. 172.7
Civis Romanus quis sit. 8.13
Clericus an maiestatis committat crimen insurgendo contra Imperatorem? 9.16
Clericus Imperatori subiectus non est. 9.17
Clericus crimen maiestatis committit

mittit adversus Imperatorem, & populum Romanum, eiusq; securitatem. 13.25
Cognitio causa accurata in iudicio maiestatis necessaria 179.29
Communia vtriusq; criminis, publici, & extraordinarii. 6.8
Conciliatio l. 2. C. de bonis proscriptorum, cum l. Eius qui 8. §. 1. ff. qui testamenta facere poss. 12.42
Conclusio an sit necessaria in iudicio maiestatis. 178.28
Conditores iuris sub duobus simplicibus in distributione expressis, comprehendunt etiam mixtum. 74.78
Confœderatio non inducit subiectionem. 22.46
Contra Reum maiestatis citatū, & non comparentem in termino, proceditur in contumaciam. 172.9
Corporalis pœna criminis læsæ maiestatis ita specialiter dicti, est vel vltimum supplicium, vel deportatio, vel relegatio. 153 109
Crimen maiestatis iure ciuili simpliciter appellatum, Ius Canonicum vocat etiam crimen læsæ maiestatis. 4.5
Crimen aliud est publicum, aliud extraordinarium. 6.5
Crimen publicum quod sit 6 6
Crimen publicū qua nota distinguatur a priuato crimine. 6.7
Crimen maiestatis qua ex lege publicum sit. 7.9
Crimen maiestatis solus ciuis Romanus committit. 8 1 4
Crimen maiestatis committit solus subditus. 9.15
Crimen maiestatis committitur adversus Imperatorem, & populum Romanum, eiusq; securitatem. 13.25
Crimen maiestatis est duplex. 33.1
Crimen maiestatis facto commissum duplex est, perduellio, & maiestatis crimen. 33.5
Crimen perduellionis sæpè generis nomine significatur, & simpliciter maiestatis crimen dicitur. 34.6
Crimen perduellionis in duplici est differentia. 34.7
Crimen quasi perduellionis quibus in personis cōmittatur. 35.8
Crimen perduellionis vnde dicatur. 36.10
Crimen perduellionis quibus modis adversus Imperatorem cōmittatur. 36.11 & 37.12
Crimen perduellionis adversus rempubl. quis committat. 38.13
Crimen quasi perduellionis quod sit. 39.14
Crimen quasi perduellionis cur ita vocetur. 40 15
Crimē maiestatis speciale adversus quem committatur. 62 48
Crimen maiestatis cōmittit, qui statuas Imperatoris, vel imaginem consecratam conflat. 64 52
Crimen maiestatis contrahit, qui nomen Imperatoris sibi vindicat dolo malo. 66.61
Crimen maiestatis cōmittit, qui monetam absque licentia Imperatoris cudit. 66.62
Crimen maiestatis speciale, quomodo committatur adversus populum Romanum. 71.74
Crimen maiestatis speciale quod adversus populum Romanum committitur, in duplici est differentia. 72.76

Crimen maiestatis committitur interdum non faciendo sive omittendo. 75.81

Crimen maiestatis adversus Imperatorem committit, qui ius magistratus sibi vindicat, quasi datum sibi ab Imperatore. 79.87

Crimen maiestatis adversus populum Romanum committit, qui confugientem ad Ecclesiã ab ea abducit. 79 88

Crimen maiestatis est collegium constituere illicitum. 80 90

Crimen maiestatis cõmittit, qui de nece magistratus civitatis Imperialis nefarie cogitat. 85.100

Crimen maiestatis verbale quandoq; impunitatem habet. 97.1

Crimen perduellionis omniũ est nefandissimum, & sceleratissimum. 100.12

Crimen perduellionis significatur quãdoq; per crimen maiestatis ita simpliciter dictũ. 162 117

Crimen maiestatis probatur non solum testibus, sed & confessione tormẽtis expressa. 178.25

Crimine maiestatis in iure nostro significatur plerunq; temporalis, sive humana maiestatis crimen. 5.3

D.

Damnatio ad inquirendum, non ad condemnandum conducit. 176.21

Definitio criminis maiest. 5.1

Definitio criminis maiestatis, quod maledicto cõmittitur. 32.3

Definitio criminis perduellionis. 35.9

Definitio criminis læsæ maiestatis specialis. 61.47

Denunciator licet non possit probare crimen, tamen illud indicare tenetur. 61.45

Dictio, Securitas, quid significet in l.1 §.1.ff.d.leg.Iul.maiest. ubi Interpretes variant. 23.49

Dictio cuiuslibet est nomen universitatis, & extendit dispositionẽ ad omnes, & singulos. 47.25

Dictio, aut, in l.ult in fin. C. de abolitionib. coniunctionis vim habet, non disiunctionem denotat. 88.107

Distinguendum inter crimen perduellionis, crimen quasi perduellionis, & crimen maiestatis ita specialiter dictum. 99.7

Doctores, qui negant crimen maiestatis committi in principe Imperatorem recognoscente, morantur. 83.95

Dolosus conatus in crimine maiestatis sufficit. 24.51

Dolus requiritur ut sit maiestatis crimen. 24.50

Donellus negat esse mixtas actiones, sed iniuria. 74.79

Duo sunt capita leg. Iuliæ maiestatis ex Dd. sententia. 156.112

E.

Ecclesia ab aliqua abstrahi qui possint impune. 80 89

Emphyteusis Ecclesiastica an transeat ad heredes etiam extraneos. 138.80

Error Interpretũ detegitur. 33.4

Error Hier. Gigãtis detegitur, q urbem accipit pro civitate superiorem non recognoscente, in l.1. §.1.ff.de leg.Iul maiest. 76.84

Error Doctorum arguitur, qui existimant, filios Rei quasi perduellionis non affici pœna ob paternum hoc crimen. 151.106

Execut.

Executio sententiæ fit si non sit appellatum, aut appellari nequeat. 129.30
Exercitum comparare & bellum gerere, solius est Imperatoris. 62 49
Explicatio l Senatoris.11.C.de dignitatibus lib. 12. 122.64

F.

Facta nonnulla sunt, quæ speciem habent criminis maiestatis, sed eiusmodi non sunt. 69.68
Filiæ Rei quasi perduellionis salvam retinent legitimam in bonis maternis. 151,107
Filii fruuntur dignitate & honore patris, licet nati sint antequam pater honorem adipisceretur. 122.63
Filii perduellium non indigni, sed incapaces dicuntur hereditatis. 135.74
Fiscus est loco extranei heredis. 113.45

H.

Hereditas, quæ aufertur alicui, vt indigno, non per se, sed ex alio, nõ vindicatur fisco, sed aliis legitimis successoribus relinquitur. 134.73
Hereditas parentum ne ad liberos pertineat, lege effici potest. 146 94
Hereditas Reo perduellionis delata, non autem adita ab ipso, nõ pertinet ad fiscum. 149,103
Hotomanus, Decianus, & Arnoldus ab Haersolte, in definiendo crimine maiestatis speciali labi videntur. 71,75

I.

Imperator dicitur Dominus mundi, 17.34
Imperator negocium lustrandi milites alii mãdare potest. 61.53
In iure nostro etiam ea, q̃ sub genere expresso continentur, specialiter quoq; & nominatim post genus sæpè exprimuntur, 88.106
In l.2.C.de rebus creditis, quidam pro per genium principis, legendum putant, per venerationem principis. 71.73
Incertum est, duo an plures fuerint leges Iuliæ maiestatis capita. 159 114
Inclusio vnius est exclusio alterius. 84.98
Infamia patris Rei perduellionis comitatur etiam filios. 116,51
Infamia non irrogatur filiabus ob patris crimen perduellionis. 120,59
Infamia notatur, qui pro Reo perduellionis intercedit. 136.75
Iniuriosum est, statuam alterius detrahere. 64.53
Intellectus c. Felicis, Tit. de pœnis, remissive. 17.41
Intellectus L. Quisquis, §. pen. C. ad leg. Iul. maiest. 58.41
Intellectus l. Eorum, 9. ff. de lege Iul. maiest. 163.118
Intellectus Novellæ, 134. cap. vltim. in fin. 160.116
Iudex quis sit in causa maiestatis. 168.2
Iudex si dicat sententiam dolo malo in fraudem legis, verã litis æstimationem parti læsæ præstare cogitur. 70 70
Iudex inquisitione ex officio vtitur, quando nemo vel accusat maiestatis Reum, vel per denunciatione ipsum Reum facit 177.22
Iudex in causa maiestatis non Imp. sed alius est. 169.3
Ius civile de perduellionis crimine

mine ab usu recessit, si Imperator in Pontifice Romano crimen maiestatis committeret. 19.41
Ius cudendæ monetæ privatus impetrare non potest 66.64
Ius cudendi monetam est de regalibus. 66.63
Ius divinum adimit potestatem secularem personis Ecclesiasticis. 18.37
Ius singulare ad consequentias trahendum non est. 57.39
Ius VVirtembergicum desiderat, ut denũciator vel probet crimen, vel eius indicia per circumstantias profer at. 61.46

L.

Legitima debetur iure naturæ. 142.85
Legitima pacto tolli non potest. 142.86
Legitima est liberorum debitum. 143.87
Legitima non relinquitur filiis dãnato perduellionis Reo. 143.89
Legitima non debetur liberis vivo parente. 143.90
Legitima propriè natura debitum non est. 145.92
Legitima cur natura debitum dicatur. 146.93
Legitima an statuto tolli vel minui possit. 147.96
Legitima, & æs alienum in iure nostro invicem separantur 147.97
Legitima debetur liberis parente vivo tantum spe quadam, 149.101
Lex Iulia maiestatis à Iulio Cæsare lata præsumitur 7.12
Lex non dubito, §. ult. ff. de captiv. & postlim. reversis, explicatur. 23.48
Lex 4. in fin. pr. ff. de leg. Iul. maiest. de omni Reo, non tantum de Reo maiestatis exaudienda. 78.85
Libellus an ad accusandum maiestatis Reum sit necessarius. 175.18
Liberi vivo patre quodammodo domini paternorum bonorum existimantur. 148.99
Litis contestatio non est necessaria in iudicio maiestatis, cum ex sententia Iudicis de plano, & summariè proceditur. 178.24
Lustrare exercitum est probare militem, qui actus probatoria dicitur. 63.51

M.

Magistratus officium est, conquirere latrones, & alios quietem publicam turbãtes, atq; in eos severissimè animadvertere 177.23
Maiestas alia est æterna, alia temporalis. 5.2
Maiestas quid sit. 25.53
Maiestas populi Romani dicitur maiestas publica. 26.55
Maiestas etiam est Imperatoris; cuius varia appellatio. 26.57
Maledicens Imperatori arbitrariè punitur. 97.2
Memoria etiam defuncti Rei perduellionis damnatur. 115.48
Modi, quibus maiestas Respublica Romana omittendo læditur, recensentur 88.108
Modi, quibus aliquis Rempub. Romanam per aliũ offendit, exponuntur. 89.109
Moneta adulteratur tribus modis. 68.67

N.

Nemo tenetur crimen revelare, si id probare nequeat. 60.44

Notatio criminis maiestatis. 25.52.& 54

O.

Obiectio ; maiestatis crimen hodie non amplius committitur adversus populum Romanum, ex quorundam sententia. 13.26

Odiosa & pœnalia non extendenda. 84.97

Omnis anima Imperatori dicitur subdita. 17.35

Oratio illa, ope consilio, item, opera consilio, quid valeat in iure nostro. 72.76

P.

Papa Romanus dicitur omnium Christianorum dominus. 17.30

Papa Romanus vacāte imperio est Imperator sua opinione. 17.33

Papa Romanus est Clerus, non heres mundi. 19 40

Pater onerare non potest liberorum legitimam, nec minuere illam. 142.84

Partitio argumenti in iudicio maiestatis. 168.1

Per denunciationem potest quis aliquem maiestatis Reum facere. 176.20

Per factum significatur, quandoq; in iure nostro infectum. 75.82

Petrus nō fuit dominus reliquorum Apostolorum, sed socius. 19

Petrus à Paulo reprehensus fuit. 19.39

Philippus Rex Francorum malè excepit & tractavit Legatos Pontificis Bonifacii Octavi, significantis p eos se dominū esse omnium regnorū ac ditionum. 26.42

Pœna periurii quando sit ictus fustium. 70.72

Pœna perduellionis tenetur etiam, qui hoc crimen commisit in Principe Electore. 99.10

Pœna capitis in perduelles est antiquissima. 100.11

Pœna perduellionis moribus recepta, est discissio corporis in quatuor partes. 100.13

Pœna perduellionis quæ sit Venetiis, & in Gallia. 101.15

Pœna perduellionis est etiam bonorum confiscatio. 101.16.& 17

Pœna perduellionis hæc etiam novo Iustinianeo iure est probata. 102.18

Pœna perduellionis & hæc est, quod ipsorum filii, neque in maternam, neq; in avitam, neque in aliorum propinquorum hereditatem succedunt. 116.50

Pœna quasi perduellionis, est corporis & bonorum. 136.76

Pœna quasi perduellionis in liberis Rei duplex est, bonorum & infamia. 151. 105

Pœna criminis maiestatis ita specialiter dicti, vel corporalis est, vel bonorum. 153 109

Populi cōfœderati duplicis sunt generis. 21.45

Populus confœderatus, an maiestatis crimen cōmittat in Imperatore Romano. 21.44

Populus exterus an committat maiestatis crimen in Reges, Duces, aut Principes suos. 15.28

Populus Romanus communicavit saltem cum Imperatore suum imperium, non eo prorsus se abdicavit. 14. 27

Potestas & ius eligendi Pontificem Romanum pertinet ad Imperatorem, ut & creatio Archiepiscoporum. 18.36

Potestas legis maior est quam pacti. 146.95

Pontifex Romanus sua consecratione, & coronatione promovet Cæsarem ad imperium. 17.31

Pontifex Romanus deponere audet Imperatorem. 17.32

Principes, Comites, Barones sunt Senatores populi Romani. 81.93

Processus iudicij maiestatis, quibus rebus contineatur. 171.6

Processus iudicij maiestatis, vel est summarius, vel pro arbitrio iudicis ordinarius. 176.19

Procurator Rei in causa facta pacis admittitur. 174.14

Provincia, Civitas, Pagus Imperij Romani, committere quoque dicitur maiestatis crimen, offendendo Imp. potest. 12.23

Q.

Quæstio, an perduellionis sit crimen, si quis alicui Cardinali hostiliter insidias ponat? 41.17

Quæstio, an Princeps Romanus crimen maiestatis committat in Pontifice. 16.30

Quæstio, an sit necesse, ut in aula Cæsarea semper commoretur, vel Pontificis adhæreat lateri, Imperatoris Cōsiliarius, aut Cardinalis, ut in eius persona crimen quasi perduellionis committi dicatur. 42.18

Quæstio ardua, an quasi perduellionis crimen committat, qui odio privato aliquem ex Consiliarijs Imperatoris trucidari laborat? 48.28

Quæstio perplexa, incurratne in pœnam criminis læsæ maiestatis, qui non ignorat committi illud, nec tamen hoc facinus revelat. 52.36

Quæstio, an contra Imperatorem, vel populum Romanū maiestatis crimen cōmittat? qui privatus pro potestate magistratuve quid dolo malo gerit. 78.86

Quæstio, an speciale maiestatis crimen committat, qui Principē Imperij, qui Elector non est, occidit, aut vita eius insidias struxit. 80.91

Quæstio, an solo conatu maiestatis crimen cōmittatur, etiamsi effectus non sit secutus. 91.100

Quæstio anceps, Reus maiestatis utrum amittat sua bona ipso iure, an vero sequuta sententia. 103.21

Quæstio dubia, an etiam futura bona Rei maiestatis, ut quæ post contractum perduellionis crimen adquisiuit, fisco vindicētur. 110.39

Quæstio anceps, an etiam feudum Rei criminis maiestatis publicetur una cum allodio. 113.44

Quæstio, an feudum hereditarium, quod etiam ad extraneos transit heredes, fisco inferatur publicatis Rei bonis. 114.47

Quæstio, an filia etiam propter patris crimen perduellionis puniantur. 118.56

Quæstio, an filiæ Rei perduellionis sint exortes avitæ hereditatis, aliorumque propinquorum successionis. 119.58

Quæstio, an pœna criminis paterna etiam ad filios ante contractum illud scelus natos, transeat? 120.60

Quæstio, an si mater committat perduellionis crimen, pœna materni sceleris eius quoque filios teneat. 125.65

Quæstio, an etiam nepotes sustineant pœnas criminis aviti. 128.68

Quæstio,

Quæstio, an vxor mariti Rei perduellionis aliquod sentiat incommodum ex hoc mariti scelere? 130.69

Quæstio, an ex perduellione filij pater eius pœnā sustineat? 131.70

Quæstio, an hereditas avita, & propinquorum, item extraneorum, à qua arcentur filij perduellium, fisco cedat, necne? 134.72

Quæstio anceps, an Reus quasi perduellionis cum allodio suam etiā emphyteusin amittat, 137.78

Quæstio, emphytevsis Ecclesiastica; an transeat ad heredes descendentes in infinitum, vel ad tertiam vsq; generationē. 137.79

Quæstio, an emphytevsis Ecclesiastica, quæ ex pacto ad extraneos etiam pertinet heredes, propter Emphyteutæ crimē quasi perduellionis fisco vindicetur? 138.81

Quæstio, an Ecclesia intra biennium possit à fisco repetere emphyteusin Ecclesiasticam. 140.82

Quæstio nodosa; an salvam habeant liberi legitimam suam, cum bona patris ob perduellionis crimen confiscantur? 141.83

Quæstio perplexa, an filio criminis maiestatis condemnato, pater teneatur legitimam eius fisco præstare. 148.98

Quæstio, an patre mortuo, legitimam filij Rei perduellionis fiscus poscere queat? 149.100

Quæstio dubia, an Reo quasi perduellionis, ante damnationē mortuo, memoria eius postea damnetur. 149.104

Quæstio, an filij partem faciant in computatione legitimæ, enim agitur de legitima filiarum in bonis maternis 152.108

Quæstio dubia, an Reus maiestatis, si liberos, vel parentes habeat superstites, bona ipsius confiscentur, vel liberis, aut parentibus relinquenda sint. 159.115

Quæstio, an absens Reus maiestatis per procuratorem comparere possit. 173.11.

Quæstio controversa, an Reus maiestatis advocatum in iudicio habere possit. 174.15

Quæstio, an vxor maritum suum maiestatis Reum accusare possit. 175.17

Quæstio, an Reus maiestatis cōdemnatus appellare possit? 179.31

Qui hominem in vita periculo constitutum à morte liberare potest, nec liberat eum, occidere ipsum censetur. 58.42

Qui statuas Imperatoris nondū consecratas conflat, in crimen maiestatis non incurrit. 64.56

Qui vendit Imperatoris statuas, aut imagines consecratas, in crimen maiestatis incidit. 65.58

Qui Imperatoris statuam aut imaginem consecratam lapidibus, aut alio modo offendit, maiestatis crimen contrahit. 65.59

Qui per venerationem Imperatoris iurat, iuramentum autem non servat, crimine maiestatū se non polluit.

Qui suo proprio facto, & per se Rempublic. Romanam pro parte offendit, vel faciendo, vel omittendo. 76.51

Qui crimen maiestatis committit in Principe non Electore, in illius filios non cōvertitur pœna l. quisquis 5. C. ad legem Iul. maiestat. 82.94

Qui maledixit Imperatori animo iniuriandi, non à Iudice, sed ipsemet Imperatore arbitrariè punitur. 97.2

Quid non fieri, & non rectè fieri sunt paria. 65.57

Quid sit memoriam Rei perduellionis damnare. 116.49

Quidam impunè ab Ecclesia abstrahi possunt. 80.89

Quidam existimant, quasi perduellionis Reum non amittere sua bona. 137.77

Quis Iudex sit in causa maiestatis: vbi communis Dd. error detegitur. 168.2

Quis maiestatis Reum accusare possit. 174.16

Quod verisimilius est in dubio teneri debet. 7.11

Quod simpliciter dicitur distinctionem non admittit. 120.61

Quod in maiestatis causa non Imperator, sed alius sit Iudex varijs ostenditur argumentis. 169.3

R.

Ratio cur filiabus relinquatur legitima ex maternis bonis, non etiam filijs Rei perduellionis. 119.57

Rebellis ante sui condemnationem amittit ea, quæ iuris sunt ciuilis, & impunè occidi potest. 171.5

Responsio ad obiectionem, de Prætoris maiestate. 27.59

Responsio ad argumenta opinionis illorum, qui pœnam criminis paterni non porrigunt ad filios ante contractũ crimen perduellionis natos. 122.62

Reus non modò ex crimine perduellionis punitur, sed & eius filij, & filiæ. 99.8

Reus perduellionis & corpore & bonis punitur. 99.9

Reus perduellionis, non à tẽpore commissi delicti, sed à tempore sententiæ latæ bona sua amittit Vbi argumenta adferuntur, & ab autore ad contraria respondetur. 103.nu.22. & seqq.

Reus maiestatis nisi vilis conditionis homo sit, non capitur, sed citatur ad iudicium. 172.8

Reus criminis maiestatis si ipsemet litem sit cõtestatus comparere potest per procuratorem. 173.12

Reus in iudicio maiestatis per procuratorem comparere potest, licet ipsemet præsens litem contestatus non sit. 173.13

Rex, Princeps, Comes, Baro, Imperatoris Vasallus, attamen Romano Imperio non subiectus, an maiestatis crimen aduersus Imperatorem committat, quæstio anceps. 10.19

Rex Francorum, fatuum nominauit Papam Romanum Bonifacium octauum. 20.43

S.

Sententia contra sacras constitutiones lata, est ipso iure nulla. 69.69

Sententia l. vn. in fin. C. si quis Imp. maledixerit; vbi Accursii sententia reijcitur. 97.3

Seperatorum seperata est ratio. 57.40

Solius Imperatoris est habere delectum militum. 62.50

Solus subditus crimen maiestatis committit. 22.47

Subditi Papæ Romani committunt crimen maiestatis in ipso Pontifice. 16.29

Specialiter notari debent notabilia, ne quasi neglecta videantur. 87.106

Spei successionis non transit ad heredem extraneum. 149.102

Statua Imperatoris reprobata qua sint. 64.55

T.

Testes examinari de crimine maiestatis qui possint. 178.27

Textus lectio, de maiestatis crimine quod facto committitur, emendatur. 32.2


Transitio pœnæ paternæ ex perduellionis crimine in liberos probari videtur etiam l. Quando 10. in fin. C. de bonis proscriptor. & probat eam sanctio Carolina in Aurea Bulla, Tit. Von der Ertzbischoffe Segen. 118.54

V.

Verbum, videri interdum non fictionem, sed veritatem & proprietatem significat. 74.80

Vox masculini generis complectitur etiam genus fœmininum, etiam in odiosis & pœnalibus. 126.66

Vnum idemq; facinus criminosum diversa consideratione ad diversa criminum genera & titulos referri potest. 68.66



FINIS.